D. D.

FRANCISCI BARONII, AC MAMFREDI IVDICIVM.

HISTORICAE,

ET CHRONOLOGICAE

Dissertationis

ANTONINI

DE AMICO

MESSANENSIS

Regij Historiographi,

Ac

METROPOLITANAE

PANORMITANAE ECCLESIAE

Canonici

De antiquo Vrbis Syracusarum Archiepiscopatu,

Ac de eiusdem in vniuersa Sicilia

Metropolico Iure

IVDICIVM

D. D. FRANCISCI BARONII,

ac Mamfredi.

PANORMI,

Apud Alphonsum de Isola. M. DC. XXXXI.

Impr. Abb.Gel. V.G. Impr.de Denti P.

Eminentiss. ac Reuerendiss. Dom.

IOANNETTINO
D O R I A

Cardinali S. R. E. Amplissimo,
Ac
Panormitanæ Vrbis Archiepiscopo,
Integerrimo, Optimo
F.

REDEO, Princeps Eminentiss. coactus ad calamum. Calami vox clarior, argutior, sonantior, quam tubę. Silentium quandoquè damnandum. Silentij auctoritas apud posteros grauis. Vindex iniuriarum calamus. Scripsit superioribus annis Albertus Piccolus de antiquo iure Ecclesiæ Siculæ. Scripsi & ego de Panormitanæ Ecclesiæ primatia. Ille vrbis propugnator suæ, ipse tutelaris meæ. Certatum vtrinquè. Orbis terrarum sedit arbiter. Haud vetita ingeniorum altercatio. Nunc, tempestate iam sedata, cœloq; pacato exit bona alite (faxit Deus) de Syracusanæ Ecclesiæ Iure Metropolico inopinata dissertatio. Armata

perstat in campo. Messanam, ac Panormum vrbes in arenam, imo ab Syracusis, Siciliam vniuersam vocat. Ex Sicularum Vrbium gremio tamquam ex Equo troiano miles prodeat. Iussus præeo. Lubens pareo, volens sequor præeuntem veritatem hastæ innixam, pharetratam, gradu testudineo incedentem. Haud desperanda victoria. AEquo marte, sed non æqua sorte conflictus. Principibus Sicularum vrbium vrbibus inflixit vulnus suum. Tulit opem medicina. Et nostro sequitur de vulnere sanguis. Maior Ars medica desideratur. Nolo Spectatorem alium, nolo Auspicem, nolo Ducem alium singularis huiusce certaminis, quam te dumtaxat vnum Princeps Eminentiss. Tu quidem satis vnus præ ceteris. Ceterum tibi vni, Princeps Optime, do, dono, dico, consecro lucubrationes meas sub tuis auspicijs non perituras. Ales tuus victoriarum auspex in abditissimas hasce orbis terræ plagas inuehet; prouehet; Mundus excipiet. Abeant ergo bono omine. Hoc omen nomen creat. Vale Princeps Eminentiss. vale, ac salue, & æternũ viue. Pan. Idibus Februar. ab orbe repar. CIƆ.DC.XLI.

Emin. Vestræ

Addictissimus seruus
Franciscus Baronius, ac Mamfredi.

LECTORI.

HAbes de AMICO Iudicium meum Lector expectationi tuæ vel par, vel opinione tua fortasse non tardius. Methodũ illius sector, quẽ sector Ducem. Præit ille: Ipse pedissequus. Mihi aperit quasi clauicula fores, digito commonstrat viam. Pareo. Adeo. Calco. Labyrinthum ingreditur, Ingredior & ego, sed Thesei filo. Lassior ille, ego lætior, confecta via. Insistit pedi pes. Hoc statutum, hoc obseruatum mihi. Audio iam esse Messanæ, quibus etiam ea cura. Ego, vt loquar cum Iusto Lipsio, quod potui, id feci; nec impedio, si quis in eodem Circo curret ad palmam. Vale, & si memento mei Lector. At, at illud pene vnum effluxerat ex animo, quod te monitum volo. Visus concilijs tum Romæ CIↃ IↃ DC XII. dum Paulus V. Pont. Max. Christianæ Reipubl. clauum teneret ac sederet in puppi, tum Lutetiæ Parisiorum CIↃ IↃ DCXXXVI. impressis. Obserua, & Vale.

Finem

FInem volens, ac lubens feceram, inita iam pace scribendi. Sed descendere in arenam cogor inuitus, licet qui scribit, non inuitus me vocet. Superioribus annis Metropolicæ Panormitanæ Ecclesiæ partes summa cum Moderatorum omnium voluntate suscepi. Veritatem proposui non fucatis rationibus, non emētitis Auctoribus, non falsis Historicorum rationibus, quæ Apolline Pythio indigere non videbantur. Antonini de Amico Opella Typographiæ lucem currente calamo, & quidem graphycè tandem aliquando Neapoli nuper aspexit, quæ omnes omnium animos incredibili quadam admiratione compleuit. Promiserat iste se breui non pauca daturum typis. Extitit ergo Dissertatio de Syracusanæ Ecclesiæ Iure Metropolico, suis concinnata rationibus, suis confirmata auctoritatibus. Dignum opus. Sed id quasi clauicula mihi fores aperit ad scribendum, campum ad confutandum, in quo mea & excurrere, & exultare, & cognosci possit oratio.

CAPVT PRIMVM

Primi Capitis

Prima ratio perpenditur, exploditur.

NEmo est, sic habet Amicus, *vel mediocriter in Sacrarum historiarum monumentis versatus, qui ignoret eas quidem Ecclesias, quas per se ipsi Apostoli administrarunt, Patriarchale, vel primatiale decus obtinuisse, eas vero, quibus Episcopi ab Apostolis præfecti sunt, Archiepiscopali fuisse omnes nomine decoratas.* Hæc ratio Pirrhi est, ex Pirrho exscripta. Neque tu inficiare, qui cum ex occasione de Archiepiscopo Mamiliano (rexit is Panormitanam Ecclesiam an. ab orb. repar. CCLXXXXVII.) suo marmori incisũ retinẽte, testis locuples Octauius Caetanus, hoc Epitaphium

Hic iacet Corpus S. Mamiliani
Panormensis Archiepiscopi,

sermonem haberet, causam diligenter indagat, cur Mamilianus appelletur hoc nomine. Sic .n. inquit is eo ipso loco in tua tibi Differtatione ad oram laudato. Sed quæ eius appellationis causa? (*Archiepiscopi videlicet*) crediderim eò non ineptè referri posse, quod à D. Petro Antistitem habuerit Panormus; quis .n. nesciat ijs Ecclesijs, quæ ab Apostolorum temporibus suam repeterẽnt originem, quæquè Christi disciplinam tamquam parẽtes alijs ,,

„ tradidissent peculiarem quēpiam honorem habitū.
„ Sanè *Rupertus Abbas to. 2. de diuinis officijs cap. xxvij.*
„ inquit, *Apostolorum successores Patriarchæ sunt dicti.*
„ *Petri autem successor pro excellentia Principis Apostolo-*
„ *rum Apostolicus nominatur; qui autem ab eis (scilicet*
„ *S. Petro, alijsquè Apostolis) per Prouincias missi sunt, tā*
„ *ipsi, quam successores eorum Archiepiscopi vocantur.* Po-
„ test & eius appellationis honor ad Panormitanæ
„ vrbis dignitatē referri; cū .n. in præstātioribus vrbi-
„ bus cōsueuisset Ecclesia maiores statuere præsula-
„ tus, vt facilius inde fides in subiectas Ciuitates tam-
„ quā ex capite in reliquū corpus excurreret; hinc
„ forte est, vt Panormitanum Antistitem Archiepi-
„ scopum dixerint. Hæc Pyrrhus.

Sententiam ergo, qui legunt, ferant suam, an hæc tua ratio sit ex Pirrhi exscripta prima notitia, sed breuiori, fateor, anfractu verborum. Ea igitur tibi soluenda primum, deinde afferenda in medium tua; vel certè promendum quid noui, vt disputatio cum tui nominis laude progrederetur vlterius. Sic finem assecutus. Tu verò quod Pirrhus scribit, eruditè, ac fideliter exscribis. Magna laus, imo & vnica.

Ad hæc. Pirrhi argumentum istud non ita Panormitanæ Vrbis est proprium, vt certè non sit commune cum ceteris. Cum .n. in Sicilia vniuersa pleræquè Principes vrbes extiterint, atque ante actis sæculis floruerint, vt vnam Messanam Vrbē, vrbem opulentissimam Polybius, Catinam nobilitatis matrem, Syracusas græcarum vrbium caput, Agrigentum Siciliæ Tyrannorum Regum sedem, pri-

primæ notæ ſcriptores appellarint; quæuis certè pro ſua dignitate vti hac arguẽdi ratione iam poſſet, itaquè pluribus Archiepiſcopis, itidemq; Metropolitanis optimo quidem iure Sicilia gloriaretur. At inquies nihil affert certi Abbas Pirrhus; cum is eo dicendi genere vtatur: *Poteſt etiam, & eius appellationis honor ad Panormitanæ vrbis dignitatem referri*. Hoc ergo vocabulum, *poteſt*, rem certam, ac determinatam non demonſtrat. De Syracuſana verò Eccleſia certum, ac firmum omnino eſt, quod promitur. coniecturis non vtor. Sequor Martyrologium Romanum magnæ apud omnes fidei, quod xviij. Kal. Iulij hæc ſilentio non præterit. *Syracuſis S. Martiani Epiſcopi, qui à Beato Petro ordinatus Epiſcopus poſt Euangelij prædicationem à Iudæis occiſus eſt.*

Rectè premis. non opprimis. Non in vnum locum omnia congerit Pirrhus. Illud autem vnum prius hic dicendum obiter mihi, quam ad Pirrhum deueniatur. Quod tu de Syracuſis, Ego de Meſſana, quæ ſuo Bacchylo, de Tauromenio, quod ſuo Pancratio, de Catina, quæ ſuo Berillo, de Agrigento demum, quod ſuo Libertino Archiepiſcopis optimo quidem iure gloriatur. Nunc redeo è diuerticulo ad Pirrhum, poſita iam ea argumentandi ratione, vt philoſophi loquuntur, ad hominem. Accipe ergo ſummatim, quæ ad rem noſtram. Sic habet.

Philippum quemdam Diaconum in Sanctorum „ albo conſcriptum ſuum Ciuem panormitana colit „ Eccleſia. Hunc Philippo Agyrenſi deprecatore „ In Not. Panorm. pag. 50. n. 1. 2. 3. 4. 5.

„ Parentes à Numine impetrasse, qua de causa puero
„ Philippi nomen est inditum, eodemq; auctore sa-
„ cris post initiatum est ab Episcopo Panormitano,
„ cum Philippi Agyrensis, cum ipsius Panormitani
„ Philippi acta M.SS. testantur. Habuit ergo Panor-
„ mus Antistitem, qua tempestate per Siciliam egre-
„ gius Agyrensis Philippus floruit, neque posteriori-
„ bus, quam ille annis panormitanus præsulatus re-
„ poni debet. Atque huc tandem nostra redit di-
„ sputatio, vt quoniam annorum rationes istæ implì-
„ citæ sunt, atq; coniunctæ, in quæ Philippus tem-
„ pora inciderit, statuamus. Iam antiquissima, si-
„ bique semper constans Siculorum omnium, atq;
„ Agyrensium illum Philippum ab Apostolo huc
„ transmissum Petro ad expellendos Dæmones, &
„ Christianæ religionis sementem faciendam; neq;
„ doctioru hominum suffragio hactenus caruit opi-
„ nio, aut aduersis rationum machinis, siue aliorum
„ scriptorum auctoritate euersa est. Hactenus ille.

Quid ad hæc Amice? probata ne est certò, ab luculenter minor propositio? Nonne sibi conciliat famam, conciliat & ceterarum vrbium beneuolentiam Pirrhus? cum quæ scribit, non tam Panormo vrbi, quam ceteris scribit. Neque profectò hoc plerisq; Siciliæ vrbibus denegandum. Pirrhus adstruit, et probas. Messana, Tauromenium, Catana, Syracusæ, Agrigentum hoc non caruere priuilegio; hæ igitur omnes Archiepiscopales vrbes, eædemq; Metropoles: cum Archiepiscopi dignitatē Metropolica dignitas consequatur. De Tauromenio, & Catana vtroque cedi; Messanam non dene-

gas

gas, nisi forte velis Patriæ hostis haberi. Si qua difficultas, de Agrigento est. Pro Agrigēto sic aio, sic concludo. Sanctum Libertinum habuisse Archiepiscopum Agrigentina gloriatur Ecclesia illuc a D. Petro Apostolorum Principe suis mandatum literis (non desunt testes, qui affirment) ea subscriptione.

Ego Petrus Apostolus Vicarius Christi. Et licet Vrbs illa tanti Antistitis honore insignita, tantoque diplomate D. Petri charactere firmato frueretur, tamen Vincentius Bonincontro Agrigentinus Episcopus, vt rem gratam faceret Paulo V. P.O.M. eo Pontificem muneratus, vt tantum illud munus Romæ, vnde effluxerat, asseruaretur. Amice ergo amicè colloquamur. Recta ne hæc ratio? cōuincit? cogit, vt verum fateare velis, nolis: ne hanc scribendi rationem à Pirrho mutuasse, atq; pro Syracusana vrbe scriptitantem pro non paucis Siciliæ vrbibus scripsisse nolentem.

Huc tandem ex Mamiliano Archiepiscopo deuentum. Illud hoc loco dumtaxat vnum de Mamiliano, quod pænè exciderat ex animo, quærendum ex te, vt inde lætior ad Pirrhum reuertar pro Panormitana vrbe scribentem. Archiepiscopus estne totius Siciliæ Metropolitanus? Panormitanus enim vero. Ergo si Archiepiscopus totius Siciliæ est Metropolita Mamilianus. Tu doces. Sed ea tempestate non ita res habebat sese. Quod suum vnicuique concedamus, nequid contra Iustitiam perpetremus. Pirrhum hactenus sectati, sectemur & in posterum, qui hanc nobis veritatem omni luce

splen-

ſplendidioerm ſic ponit ab oculos, vt nemo ſit, qui eam, niſi perturbato, offirmatoquè animo non cõcedat vltro non vltro fateatur.

Vniuerſam Siciliã in duas fuiſſe partes, ſeu Prouincias diſtributam antiquitus Pirrhus autumat, Altera vrbs Syracuſana, altera Panormus potita, eaq; Græcarum, hæc Carthaginienſium caput appellata: ſubdit hæc verba, quæ dum non grauor exſcribere, vt veritas magis, ac magis eluceſcat, quæſo te Lector legere ne graueris.

„ Illa vero antiqua totius Siciliæ diuiſio in duas „ partes, ſeu Prouincias (nam Cicero act.2. in Verrẽ „ lib.2.tom.3.orat.vij. loquens de Sicilia vocat Quæ„ ſtores vtriuſq; Prouinciæ) diù etiam perdurauit; „ apud Pontifices .n. eius mentionem fieri reperio; „ ſed cum altera pars Syracuſana, altera Panormita„ na diceretur, à præcipuis cuiuſq; partis vrbibus eã „ appellationem ortam quis ambigat? Pelagius II. „ Eucarpo Meſſanenſi Epiſcopo ſcribens hæc ha„ bet, quæ leguntur cap. Catanenſis diſt. LXII. *Ca„ tanenſis Eccleſiæ viſitationem tibi iniungimus; impoſſibi„ le.n.eſt, vt nos in Prouincia illa, ſcilicet Sicilia, in Syra„ cuſanis partibus alijs cauſam committere, &c.* Grego„ rius item Pontifex Epiſt.30.lib.12. ſic Petrum Sub„ diaconum alloquitur. *In Panormitana autem parte „ loci ſeruatorem tui me ſufficit elegiſſe, & videre volo, quid „ ipſe in Syracuſana parte prouideris.* hæc ille.

Si quis, Amicè, veritatem hanc ex hac vera partitione deduceret. (Duplex Prouincia, duplex Metropolis, Græcarum Syracuſana, Sicularum Panormus, cum vtramquè D. Petrus ſui Antiſtitis lau-

laude non priuarit) non ne rectè nonne omnium suffragijs tuam dissipasset Dissertationem? Fac.n. te Syracusas Metropolim constituisse; quinam rectè concludis id ius in vniuersam Siciliam fuisse protẽsum, si in ea duplicis Prouinciæ vestigium intuemur? Nonne in vnam coaluisse Diæcesim vrbes omnes Siciliæ vel probandum tibi erat, vel tentandum saltem, vt probares?

Pirrhum modestè, eruditeque ratiocinantem accepisti, accipe, quæso te, luculentissime concludentem. Cum ergo Christiana religio felici successu, vt compertum est, in omnes Siciliæ Ciuitates prima Ecclesiæ nascẽtis ætate propagaretur, quæ ratio D. Petrum impulit, vt Martianum, Pancratium, Berillum (adde & Libertinum) Episcopos daret Syracusis, Tauromenio, Catanæ, & Agrigẽto; eadem profectò mouere debuit, vt alium Antistitẽ Panormo præficeret; par .n. erat, vt vbi vrbis magnitudo, opulentia, ac splẽdor spem amplificandæ Christianæ religionis faceret vberiorẽ, ibi sedem figeret Præsul, qui disseminandæ fidei, atq; Ethnicorum animis ad pietatem alliciendis incumberet. Quod si in constituẽdis Metropolitarum, ac Primatum sedibus Ciuitatum laudes, prærogatiuasq; spectasse Apostolos tradit Baronius; haud vnquam prudenti homini fiet verosimile eos, quo minus in principibus cuiuscumq; Prouinciæ vrbibus, quæ Christianam suscepisset disciplinam, Episcopos ad fouendam, propagandamq; pietatẽ instituerẽt neglexisse. Panormum ergo quam florentissima dignitate præstantem ostendimus, tunc ab Aposto-

lo-

„ lorum Principe in Siciliæ Prouincia, quæ fructus
„ edidit vberrimos; prætermissam fuisse haud facilè
„ credam, præsertim cum eo fortè D. Petrus appu-
„ lerit, quo tempore Roma in Africam traiecit ex
„ Metaphraste. Panormo. n. soluere consueuisse,
„ qui Carthaginem, atq; alias Africæ oras transmit-
„ terent ex ijs, quæ sæpè Polybius enarrat sparsim, ac
„ præsertim lib. 1. atq; Fazelus Dec. 1. l. 8. cap. vnico
„ compertum est. Hæc Pirrhus egregiè.

Tuum itaque erat, Amice dum hanc honorariã,
« magnamq; laudem conferre Syracusis tecum ipse
« cogitabas Pirrhum diligentissime lectitare, ratio-
« num momenta perpendere, explodere, arguere, vt
« palmarem tibi laudem in scribendo præriperes; at-
« que vna Syracusanam Ecclesiam in Metropoliticæ
« Sedis, solijque fastigio collocares. Tu verò vt ar-
« gumentum tibi visum, vt dictitant, Achillæum nul-
« lis diluendum, soluendumq; rationibus exscripsisti
« ex D. Mamiliani historia depromptum, cæpisti
« triumphare gaudio, exultare lætitia, quasi rem con-
« fecisses tuam, tibiq; vni secreto scripsisses, non om-
« nibus, qui lineas, qui apices, qui puncta perpen-
« dunt.

« *Demum, inquies, plura quàm postulas, vltro enimue-*
« *ro concedam. Hæc mihi ratio allata & ab Pirrho ex-*
« *scripta, & quod in ratione positum ab eodem Pirrho mu-*
« *tuatum. Quid tum postea? Vin dicam vnico verbo.*
Hæc ad Hominem ratio. suamet hunc hominem oratione
« *concludo.* Factum benè. Sed hominem nõ arguis,
« cum is ita pro Ecclesia Panormitana proponit ar-
« gumentum, vt, eo duce, vtraquæque possit suo An-

tistite

Ille. vt mirandum plane non sit, si Paschalis Pontifex hoc cognomento I. cum ad Panormitanum Archiepiscopum octingentesimo supra decimum nonum perscribendo lacrimas tenere non potuerit, ac gemebundus enunciarit: *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate apostolica, sed nutu regio præsumuntur.*

Cum itaquè ea fuerit id temporis Imperatorum Græcorum audacia, eorumdemq; potestas, nec mira, nec noua videri debet Piccoli consecutio; (*& si sciam circa hæc ipsa fortasse tempora Syracusanum Episcopũ Photij beneficio Archiepiscopali nomine honestatũ*) maximè verò, vt constat apertissimè ex capite primo actionis vij. Octauæ Synodi Cõstãtinopolitanæ, quod Photius fauctorẽ habuit & Bardã, habuit & Michaelem Imperatorẽ tyrannicè imperãtẽ. Dicendum ergo cum Piccolo prorsus est, quod *cum Gregorius cognomento Asbesta Syracusanam Ecclesiam adeptus esset, seu quia omnium primus se ab Romani Pontificis ditione subtrahere conatus est, seu quia Photio inuadendæ Constantinopolitanæ sedis auctor, ac princeps fuit, earum rerum gratia verisimile est opinari, Archiepiscopi titulo primum à Photio auctum esse in Synodo, quam veteres postea latrocinalem dixere, cuius præcipuum concinnatorem Gregorium fuisse constat. Atquè huc fortasse Nicolaus Romanus Pontifex respexit, cũ deposito Gregorio Archiepiscopos eius successores ab Romana Ecclesia in posterum consecrari iussit. Hoc quoquè illud innuit, quod Actione vij. Octauæ Synodi, in qua referuntur acta Romani Concilij sub Adriano celebrati, inter anathematismos ita habetur: Omnibus sectatoribus,*

Tom. 6. Concilio. pag. 791. mihi.

Par. 1. de antiq. iure Sic. Eccles. c. 26. pag. 71.

FInem volens, ac lubens feceram, inita iam pace scribendi. Sed descendere in arenam cogor inuitus, licet qui scribit, non inuitus me vocet. Superioribus annis Metropolicæ Panormitanæ Ecclesiæ partes summa cum Moderatorum omnium voluntate suscepi. Veritatem propositi non fucatis rationibus, non emētitis Auctoribus, non falsis Historicorum rationibus, quæ Apolline Pythio indigere non videbantur. Antonini de Amico Opella Typographiæ lucem currente calamo, & quidem graphycè tandem aliquando Neapoli nuper aspexit, quæ omnes omnium animos incredibili quadam admiratione compleuit. Promiserat iste se breui non pauca daturum typis. Extitit ergo Dissertatio de Syracusanæ Ecclesiæ Iure Metropolico, suis concinnata rationibus, suis confirmata auctoritatibus. Dignum opus. Sed id quasi clauicula mihi fores aperit ad scribendum, campum ad confutandum, in quo mea & excurrere, & exultare, & cognosci possit oratio.

CAPVT PRIMVM

Primi Capitis

Prima ratio perpenditur, exploditur.

NEmo est, sic habet Amicus, vel mediocriter in Sacrarum historiarum monumentis versatus, qui ignoret eas quidem Ecclesias, quas per se ipsi Apostoli administrarunt, Patriarchale, vel primatiale decus obtinuisse, eas vero, quibus Episcopi ab Apostolis praefecti sunt, Archiepiscopali fuisse omnes nomine decoratas. Hæc ratio Pirrhi est, ex Pirrho exscripta. Neque tu inficiare, qui cum ex occasione de Archiepiscopo Mamiliano (rexit is Panormitanam Ecclesiam an. ab orb. repar. CCLXXXXVII.) suo marmori incisũ retinẽte, testis locuples Octauius Caetanus, hoc Epitaphium;

Hic iacet Corpus S. Mamiliani
Panormensis Archiepiscopi,

sermonem haberet, causam diligenter indagat, cur Mamilianus appelletur hoc nomine. Sic .n. inquit is eo ipso loco in tua tibi Dissertatione ad oram laudato. Sed quæ eius appellationis causa? (*Archiepiscopi videlicet*) crediderim eo non inepte referri posse, quod a D. Petro Antistitem habuerit Panormus; quis .n. nesciat ijs Ecclesijs, quæ ab Apostolorum temporibus suam repeterent originem, quæquè Christi disciplinam tamquam parẽtes alijs tra-

„ tradidissent peculiarem quẽpiam honorem habitũ.
„ Sanè *Rupertus Abbas to.2. de diuinis officijs cap. xxvij.*
„ inquit, *Apostolorum successores Patriarchæ sunt dicti.*
„ *Petri autem successor pro excellentia Principis Apostolo-*
„ *rum Apostolicus nominatur; qui autem ab eis (scilicet*
„ *S.Petro, alijsquè Apostolis) per Prouincias missi sunt, tã*
„ *ipsi, quam successores eorum Archiepiscopi vocantur.* Po-
„ test & eius appellationis honor ad Panormitanæ
„ vrbis dignitatẽ referri; cũ .n. in præstãtioribus vrbi-
„ bus cõsueuisset Ecclesia maiores statuere præsula-
„ tus, vt facilius inde fides in subiectas Ciuitates tam-
„ quã ex capite in reliquũ corpus excurreret; hinc
„ forte est, vt Panormitanum Antistitem Archiepi-
„ scopum dixerint. Hæc Pyrrhus.

Sententiam ergo, qui legunt, ferant suam, an hæc tua ratio sit ex Pirrhi exscripta prima notitia, sed breuiori, fateor, anfractu verborum. Ea igitur tibi soluenda primum, deinde afferenda in medium tua; vel certè promendum quid noui, vt disputatio cum tui nominis laude progrederetur vlterius. Sic finem assecutus. Tu verò quod Pirrhus scribit, eruditè, ac fideliter exscribis. Magna laus, imo & vnica.

Ad hæc. Pirrhi argumentum istud non ita Panormitanæ Vrbis est proprium, vt certè non sit commune cum ceteris. Cum .n. in Sicilia vniuersa pleræquè Principes vrbes extiterint, atque antectis sæculis floruerint, vt vnam Messanam Vrbẽ,
Li. 1. vrbem opulentissimam Polybius, Catinam nobilitatis matrem, Syracusas græcarum vrbium caput, Agrigentum Siciliæ Tyrannorum Regum sedem,

pri-

primæ notæ ſcriptores appellarint; quæuis certè pro ſua dignitate vti hac arguēdi ratione iam poſſet, itaquè pluribus Archiepiſcopis, itidemq; Metropolitanis optimo quidem iure Sicilia gloriaretur. At inquies nihil affert certi Abbas Pirrhus; cum is eo dicendi genere vtatur: *Poteſt etiam, & eius appellationis honor ad Panormitanæ vrbis dignitatem referri*. Hoc ergo vocabulum, *poteſt*, rem certam, ac determinatam non demonſtrat. De Syracuſana verò Eccleſia certum, ac firmum omnino eſt, quod promitur. coniecturis non vtor. Sequor Martyrologium Romanum magnæ apud omnes fidei, quod xviij. Kal. Iulij hæc ſilentio non præterit. *Syracuſis S. Martiani Epiſcopi, qui à Beato Petro ordinatus Epiſcopus poſt Euangelij prædicationem à Iudæis occiſus eſt.*

Rectè premis. non opprimis. Non in vnum locum omnia congerit Pirrhus. Illud autem vnum prius hic dicendum obiter mihi, quam ad Pirrhum deueniatur. Quod tu de Syracuſis, Ego de Meſſana, quæ ſuo Bacchylo, de Tauromenio, quod ſuo Pancratio, de Catina, quæ ſuo Berillo, de Agrigento demum, quod ſuo Libertino Archiepiſcopis optimo quidem iure gloriatur. Nunc redeo è diuerticulo ad Pirrhum, poſita iam ea argumentandi ratione, vt philoſophi loquuntur, ad hominem. Accipe ergo ſummatim, quæ ad rem noſtram. Sic habet.

Philippum quemdam Diaconum in Sanctorum „ albo conſcriptum ſuum Ciuem panormitana colit „ Eccleſia. Hunc Philippo Agyrenſi deprecatore „ *In Not. Panorm. pag. 50. n. 1. 2. 3. 4. 5.*

B 2 Pa-

,, Parentes à Numine impetrasse, qua de causa puero
,, Philippi nomen est inditum, eodemq; auctore sa-
,, cris post initiatum est ab Episcopo Panormitano,
,, cum Philippi Agyrensis, cum ipsius Panormitani
,, Philippi acta M.SS. testantur. Habuit ergo Panor-
,, mus Antistitem, qua tempestate per Siciliam egre-
,, gius Agyrensis Philippus floruit, neque posteriori-
,, bus, quam ille annis panormitanus præsulatus re-
,, poni debet. Atque huc tandem nostra redit di-
,, sputatio, vt quoniam annorum rationes istæ impli-
,, citæ sunt, atq; coniunctæ, in quæ Philippus tem-
,, pora inciderit, statuamus. Iam antiquissima, si-
,, bique semper constans Siculorum omnium, atq;
,, Agyrensium illum Philippum ab Apostolo huc
,, transmissum Petro ad expellendos Dæmones, &
,, Christianæ religionis sementem faciendam; neq;
,, doctiorũ hominum suffragio hactenus caruit opi-
,, nio, aut aduersis rationum machinis, siue aliorum
,, scriptorum auctoritate euersa est. Hactenus ille.

Quid ad hæc Amice? probata ne est certò, ab luculenter minor propositio? Nonne sibi conciliat famam, conciliat & ceterarum vrbium beneuolentiam Pirrhus? cum quæ scribit, non tam Panormo vrbi, quam ceteris scribit. Neque profectò hoc plerisq; Siciliæ vrbibus denegandum. Pirrhus adstruit? tu probas. Messana, Tauromenium, Catana, Syracusæ, Agrigentum hoc non carere priuilegio; hæ igitur omnes Archiepiscopales vrbes, eædemq; Metropoles: cum Archiepiscopi dignitatẽ Metropolica dignitas consequatur. De Tauromenio, & Catana vtroque cedis. Messanã non dene-

gas

gas, nisi forte velis Patriæ hostis haberi. Si qua difficultas, de Agrigento est. Pro Agrigēto sic aio, sic concludo. Sanctum Libertinum habuisse Archiepiscopum Agrigentina gloriatur Ecclesia illuc a D. Petro Apostolorum Principe suis mandatum literis (non desunt testes, qui affirment) ea subscriptione.

Ego Petrus Apostolus Vicarius Christi. Et licet Vrbs illa tanti Antistitis honore insignita, tantoque diplomate D. Petri charactere firmato frueretur, Fr. tamen Vincentius Bonincontro Agrigentinus Episcopus, vt rem gratam faceret Paulo V. P. O. M. eo Pontificem muneratus, vt tantum munus Romæ, vnde effluxerat, asseruaretur. Amice ergo amicè colloquamur. Recta ne hæc ratio? cōuincito cogit, vt verum fateare velis, nolis, te hanc scribendi rationem à Pirrho mutuasse, atq; pro Syracusana vrbe scriptitantem pro non paucis Siciliæ vrbibus scripsisse nolentem.

Huc tandem ex Mamiliano Archiepiscopo deuentum. Illud hoc loco dumtaxat vnum de Mamiliano, quod pænè exciderat ex animo, quærendum ex te, vt inde lætior ad Pirrhum reuertar. Pro Panormitana vrbe scripsisti [illegible] Archiepiscopus estne totius Siciliæ Metropolitanus? [illegible] verò. Ergo si Archiepiscopus totius Siciliæ est Metropolita Mamilianus. Tu doces. Sed ea tempestate non ita res habebat sese. Quod suum vnicuique concedamus, nequid contra Iustitiam perpetremus. Pirrhum hactenus sectati, sectemur & in posterum, qui hanc nobis veritatem omni luce splen-

ſplendidioerm ſic ponit ab oculos, vt nemo ſit, qui eam, niſi perturbato, offirmatoquè animo non cõcedat vltro non vltro fateatur.

Vniuerſam Siciliã in duas fuiſſe partes, ſeu Prouincias diſtributam antiquitus Pirrhus autumat, Altera vrbs Syracuſana, altera Panormus potita, eaq; Græcarum, hæc Carthaginienſium caput appellata: ſubdit hæc verba, quæ dum non grauor exſcribere, vt veritas magis, ac magis eluceſcat, quæſo te Lector legere ne graueris.

„ Illa vero antiqua totius Siciliæ diuiſio in duas „ partes, ſeu Prouincias (nam Cicero act.2. in Verrẽ „ lib.2.tom.3.orat.vij. loquens de Sicilia vocat Quæ„ ſtores vtriuſq; Prouinciæ) diù etiam perdurauit; „ apud Pontifices .n. eius mentionem fieri reperio; „ ſed cum altera pars Syracuſana, altera Panormita„ na diceretur, a præcipuis cuiuſq; partis vrbibus eã „ appellationem ortam quis ambigat? Pelagius II. „ Eucarpo Meſſanenſi Epiſcopo ſcribens hæc ha„ bet, quæ leguntùr cap. Catanenſis diſt. LXII. *Ca„ tanenſis Eccleſiæ viſitationem tibi iniungimus; impoſſibi„ le.n.eſt, vt nos in Prouincia illa, ſcilicet Sicilia, in Syra„ cuſanis partibus alijs cauſam committere*, &c. Grego„ rius item Pontifex Epiſt.30.lib.12. ſic Petrum Sub„ diaconum alloquitur. *In Panormitana autem parte „ loci ſeruatorem tui me ſufficit elegiſſe, & videre volo, quid „ ipſe in Syracuſana parte prouideris.* hæc ille.

Si quis, Amicè, veritatem hanc ex hac vera partitione deduceret. (Duplex Prouincia, duplex Metropolis, Græcarum Syracuſana, Sicularum Panormus, cum vtramquè D. Petrus ſui Antiſtitis

lau-

laude non priuarit) non ne rectè nonne omnium suffragijs tuam dissipasset Dissertationem? Fac.n. te Syracusas Metropolim constituisse; quinam rectè concludis id ius in vniuersam Siciliam fuisse protēsum, si in ea duplicis Prouinciæ vestigium intuemur? Nonne in vnam coaluisse Diæcesim vrbes omnes Siciliæ vel probandum tibi erat, vel tentandum saltem, vt probares?

Pirrhum modestè, eruditequè ratiocinantem accepisti, accipe, quæso te, luculentissime concludentem. Cum ergo Christiana religio felici successu, vt compertum est, in omnes Siciliæ Ciuitates prima Ecclesiæ nascētis ætate propagaretur, quæ ratio D. Petrum impulit, vt Martianum, Pancratium, Berillum (adde & Libertinum) Episcopos daret Syracusis, Tauromenio, Catanæ, & Agrigēto; eadem profectò mouere debuit, vt alium Antistitē Panormo præficeret; par .n. erat, vt vbi vrbis magnitudo, opulentia, ac splēdor spem amplificandæ Christianæ religionis faceret vberiorē, ibi sedem figeret Præsul, qui disseminandæ fidei, atq; Ethnicorum animis ad pietatem alliciendis incumberet. Quod si in constituēdis Metropolitarum, ac Primatum sedibus Ciuitatum laudes, prærogatiuasq; spectasse Apostolos tradit Baronius; haud vnquam prudenti homini fiet verosimile eos, quo minus in principibus cuiuscumq; Prouinciæ vrbibus, quæ Christianam suscepisset disciplinam, Episcopos ad fouendam, propagandamq; pietatē instituerēt neglexisse. Panormum ergo quam florentissima dignitate præstantem ostendimus, tunc ab Apostolo-

lo-

Ille. vt mirandum plane non sit, si Paschalis Pontifex hoc cognomento I. cum ad Panormitanum Archiepiscopum octingentesimo supra decimum nonum perscribendo lacrimas tenere non potuerit, ac gemebundus enunciarit: *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate apostolica, sed nutu regio præsumuntur.*

Cum itaque ea fuerit id temporis Imperatorum Græcorum audacia, eorumdemq; potestas, nec mira, nec noua videri debet Piccoli consecutio; (*& si sciam circa hæc ipsa fortasse tempora Syracusanum Episcopũ Photij beneficio Archiepiscopali nomine honestatũ*) maximè verò, vt constat apertissimè ex capite primo actionis vij. Octauæ Synodi Cõstãtinopolitanæ, quod Photius fauctorẽ habuit & Bardã, habuit & Michaelem Imperatorẽ tyrannicè imperãtẽ. Dicendum ergo cum Piccolo prorsus est, quod *cum Gregorius cognomento Asbesta Syracusanam Ecclesiam adeptus esset, seu quia omnium primus se ab Romani Pontificis ditione subtrahere conatus est, seu quia Photio inuadendæ Constantinopolitanæ sedi auctor, ac princeps fuit, earum rerum gratia verisimile est opinari, Archiepiscopi titulo primum à Photio auctum esse in Synodo, quam veteres postea latrocinalem dixere, cuius præcipuum concinnatorem Gregorium fuisse constat. Atque huc fortasse Nicolaus Romanus Pontifex respexit, cũ deposito Gregorio Archiepiscopos eius successores ab Romana Ecclesia in posterum consecrari iussit. Hoc quoque illud innuit, quod Actione vij. Octauæ Synodi, in qua referuntur acta Romani Concilij sub Adriano celebrati. inter anathematismos ita habetur: Omnibus sectatoribus,*

Tom. 6. Concilio. pag. 791. mihi.

Par. 1. de antiq. iure Sic. Eccles. c. 26. pag. 71.

bus, & propugnatoribus Photij, & Gregorij Syracusani quondam Archiepiscopi Anathema.

Epis. ix. pag. 520. tom. vi.

Quare isto homine, *per quem tot scandala*, loquor cum Pontifice, *in Ecclesiam Christi venerunt*, satis superquè iam cognito, falsaque Archiepiscopi nomenclatura insignito, & in suis literis a Pontifice Nicolao, & ab primæ notæ Historicis, & a toto Cõcilio Constantinopolitano Octauo, quod caput est, vel Gregorius Syracusanus, vel Gregorius, vel demum Gregorius dudum Episcopus appellatur. Cæsar Baronius Cardinalis Eminentissimus, quem tu eruditionis miraculum iure profiteris, qui Gregorium nuncupat? Non ne Syracusanum Episcopum? *Anno DCCCLIIII. secunda Ind. ab Ignatio Patriarcha celebratum est Concilium Constantinopoli, in quo depositus est Gregorius* Episcopus *Syracusanus.* Qui itidem & Pontifex Nicolaus? Nonne Gregorium? quasi vero appellare verecundetur Episcopum, qui ab Catholici Episcopi factis abhorruit, ac moribus. *Iudicate*, sic Pontifex, quem laudas, *cui potius resistendum sit, potestati, quam in Petro Deus omnipotēs ordinauit, quamquè super cunctam* Ecclesiam *extulit, an ordinationi Gregorij* Syracusani?

In tua dissert. pag. xi Tom. x. annal. pag. 113. edit. Antuerp.

pag. xij.

Hactenus Albertum Piccolum virum eruditissimum, doctissimumq; sectatus, nec planè me pænitet, nunc nonnihil addam, si placet de meo. Et quidem haud mirum videri debet, si Nicolaus Põtifex, cum ad Michaelem Imperatorem scriberet, hoc Archiepiscopi Syracusani nomen vsurpet: *Volumus, vt consecratio Syracusano Archiepiscopo nostra à sede impendatur, vt traditio ab Apostolis institu-*

epis. 2 pag. 489. to. vi.

ta,

-ta, nullatenus vestris temporibus violetur. Et Epist. viij. pag. 512.
Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum. Cum .n. probè cognosset is hoc Archiepiscopi titulo Syracusanũ Gregorium a Photio Michaele vel imperante, vel annuente insignitum, ac Michaelem maximè cupientem, vt eo nomine appellaretur, qui Photiũ ad patriarchale decus euexit, Syracusanum Antistitem cum nominat, Archiepiscopum nominat. Sic aliquanto pacatiorem sibi reddebat Imperatorem, quem pro Photij, & Gregorij Asbesta defensione non semel acriter obiurgauerat. Satis .n. callebat Sanctissimus Pontifex hanc nullius esse ponderis appellationem, satisquè omnibus constare ad sedandas quoquomodo discordias se voluntati Imperatoris conformare, non confirmare sententiam; nam in suis omnibus Epistolis, & in OEcumenicis Concilijs non ita se habuit, in quibus maximè proprio omnes nomine compellãtur; & in hisce semel inuenies, semel leges Gregorium Syracusanum Archiepiscopum, semper autem Episcopum appellari. Ad id verò quod subscribitur *Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constãtinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum &c.* vsus hac ratione scribendi Sanctissimus Pontifex, vt suum Coepiscopum Ignatium, qui deposito Asbesta, Theodorum ad Syracusani præsulatus dignitatem euexerat, honestaret, quia Gregorij Successorem voluit, non in Successore gradum dignitatis ap-

pro-

probare, ostenderequè id nouæ dignitatis priuilegium vni dumtaxat Theodoro fuisse collatum. Nequè .n. Theodorus Archiepiscopo successit, neq; Theodori successor Archiepiscopi, sed Episcopi nomine Sophronius appellatur. Patet vtrumq; Cum .n. Nicolaus Pontifex, vel Concilij Patres, vt dictum supra, Gregorium appellant, non Archiepiscopum, sed vel Episcopum, & quidem rarò, vel Gregorium, & quidem sæpissimè appellant. Quare Nicolaus Pontifex Epistola mihi supra laudata sic inquit, *Deinde veniant hi, qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint, vicem ceterorum tenentes, qui ipsius sunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiscopi quidã &c.* Hinc Vrbanus II. post exactos, expulsosq; Sarracenos, dum Rogerium ad Syracusani Episcopatus apicem euehit, nullam planè facit de Archiepiscopali dignitate mentionem, cum hæc, si in Syracusano Præsule gemmauit aliquando, non effloruit. Huc facit & maximè, ni fallor, quod

Ep.ix.pag. 520.& ep. 10. pagin. 533.10.6.

Gregorius Asbesta, qui absolutum sese, ac denuò ereptum sibi munus assecutum gloriabatur, non Archiepiscopalem, sed Episcopalem dignitatem assecutum, qui profectò, si Archiepiscoporum Catalogo fuisset adscriptus, eum gloriæ titulum, ea dignitatis insignia ex suæ ambitionis albo non expunxisset. Rectè autem ad rem nostram Pontifex. *Sed videamus*, inquit, *quorum iudicio, vel quo-*

Ep. x. pag. 532.10.6.

rum auctoritate Gregorius post depositionem, & anathema honorem Episcopatus resumpsit, vel officium pristinũ recepit? hæc ille. Ceterum credendum maximè

tiſtite optimo quidem iure gloriari. Argueres hominem, ſi pro Panormitana Eccleſia ſic ſcriberet, vt Meſſanam, Tauromenium, Catinam, Syracuſas, Agrigentum principes Siciliæ Vrbes ab hoc dignitatis gradu deturbaret. Verum hoc loco præterire ſilentio non poſſum, quod Pirrhus addit egregiè, atquè, vt philoſophicè cum Philoſopho loquar, a poſteriori: cum .n. poſt exactos Sarracenos Gregorius huiuſce appellationis vij. Alcherium Panormitanæ Vrbis Archiepiſcopum ſuo diplomate exornaſſet, eidem ius Metropolicum in ſuos ſuffraganeos Epiſcopos confirmauit. Vrbanus vero ij. P. Max. cum Syracuſarum Epiſcopum Rogerium conſecraſſet, nullam fecit de ſuffraganeis Epiſcopis, nullam de iure Metropolico mentionem; vt inde conſtet Panormitanam Eccleſiã ante Sarracenicam tempeſtatem ſuum habuiſſe Archiepiſcopum, & Metropolitam, Syracuſas vero Epiſcopum ſuum. Lege Pirrhum in Alcherio. lege itidem eumdem in Rogerio. Quid ad hoc argumentandi genus Amice? *In not. 1. Eccl. Pan. pag. 102. In not. 11. Eccl. Syr. pag. 152.*

Licet ergo Panormitana, & Syracuſana exoriẽte Chriſti Domini fide Archiepiſcopalis extiterit Eccleſia, cum vtramquè ſuis D. Petrus illuſtrarit Antiſtitibus, ex vtroquè tamẽ Põtificio diplomate luculentiſſimè deducitur in hoc Archiepiſcopalis ſedis gradu Syracuſanam Eccleſiam ſeruatam non eſſe. Iure itaq; duplici dignitatis titulo Panormitana gloriatur Eccleſia, tum quia ipſi a D. Petro collata dignitas Archiepiſcopi, tum etiam quia a D. Petri Succeſſoribus, & Archiepiſcopi, & ſuffraganeo-

rum Episcoporum approbata maiestas. De Syracusis primum assero, quod verum, alterum nego.

SECVNDA RATIO

Proponitur, Refellitur.

Pag. 11. SEd *vt ab ipso Gregorio Asbesta non discedamus, eúq; antequã Sacerdotio à Patriarcha Ignatio priuaretur, Syracusanũ fuisse dictũ Archiepiscopum cõfirmemus. Hæc Amicus*. Et planè confirmat auctoritate Nicolai Pontificis de Syracusano Præsule Epis. 11. pag. x. sic scribentis. *Volumus, vt consecratio Syracusano Archiepiscopo nostra à Sede impendatur, vt traditio ab Apostolis instituta*. *Et Epis. viij. Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum &c.* Ex hoc Pontificis scribendi genere infert hanc consecutionem, semper ergo Archiepiscopos habuere Syracusæ.

Pag. 512. tom. vi.

Porro, sic habet, & concludit Amicus, *cui verisimile videtur Romanum Pontificem Archiepiscopi nomine Syracusanum Antistitem censere voluisse, si à schismatico Photio primam illud habuisset originem, ac non potius à principio in Syracusana Ecclesia viguisset?* En insurgit, en descendit in arenam, en occurrit tibi, tecumq; concurrit Albertus Piccolus tuus, qui sic scribit. *Reliquum est igitur, vt Nicolai Pontificis testimonio occurramus, qui Syracusanam Ecclesiam Archiepiscopalem nominat. Sed iam ante à me latius disputatum est, quis fuerit Ecclesiæ Siculæ status Nicolai*

De antiq. iure Eccl. sic. p. 2. c. 8. pag. 108

I. &

I. & Photij Constantinopolitani Patriarchæ ætate. Eo igitur Lectorem relego. Verum hic moneo, quod & si sciã circa hæc ipsa fortasse tempora Syracusanum Episcopum Photij beneficio Archiepiscopi nomine honestatum, vix tamen persuaderi possum viuo Nicolao id obtinere ab eo potuisse, quod, vt asseram, facit, quia idem ipse Nicolaus alibi Synodi Romanæ contra Photium res gestas enarrans, scribit. Hunc ex Sæculari administratione, & militia subito tonsuratum a Gregorio Syracusano Episcopo damnato, & ab Apostolica sede conuicto Episcopum ordinatum. Episcopus quoque appellatur cap. 2. eiusdem Synodi Romanæ. Gregorium, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter, atq; contempto Deo præest, eo quod & ipse ex parte Schismaticorum sit, & postquam à Synodo Episcopatus officio priuatus est, &c. Idem factum in Concilio Romæ celebrato sub Adriano, itemq; in omnibus Nicolai Epistolis, quibus Gregorius solo Episcopi nomine proclamatur. Proinde difficillimum mihi videtur, & nullo modo ferendum, vni illi Nicolai verbulo contra tot aliorum locorum testimonia fidem adhiberi; aut saltem credendum, cum hoc ipso tempore Photius referendæ gratiæ causa Gregorium Archiepiscopali honore auxisset, eaq; appellatione Gregorius notior apud Græcos esset, hanc quoq; Nicolaum vsurpasse. Hæc Albertus. Et rectè. Quid tu Amice? cur Albertum nõ impugnas? cur non arguis? vel tua responsione indignum arbitrare, vel illi certè occurrere non audes. Epist.7.H.

Rectè autem nos admonet Piccolus; & quidem verè (*etsi sciam circa hæc ipsa fortasse tempora Syracusanum Episcopum Photij beneficio Archiepiscopi nomine honestatum*) nam eo audaciæ Græci Imperatores

mè est, vt rectè innuit Piccolus, centenis hac ipsa de re Nicolai Pontificis, atq; Conciliorum auctoritatibus, quam vni, vel altero eiusdem verbulo Syracusanum Præsulem obiter Archiepiscopum appellantis. Hæc infra, cum de hoc ipso Gregorio post Photij eiurationes, qui non rectè ab Antonino de Amico Archiepiscopus inscribitur, latisimè prosequemur.

TERTIA RATIO.

Ex Conciliorum auctoritate refellitur, Concilij locus omnino corruptus ostenditur.

NEc minus in hanc rem faciunt eiurationes in Photium, eiusquè sectatores acclamatæ a Patribus Octauæ Synodi Generalis Constantinopolitanæ celebratæ anno DCCCLXVIII. quæ sub fine actionis septimæ leguntur in hanc formam. pag. xix.

Photio	*Curiali, & inuasori*	*Anathema.*
Photio	*Sæculari, & forensi*	*Anathema.*
Photio	*Neophyto, & Tyranno*	*Anathema.*
Photio	*Schismatico, & damnato*	*Anathema.*
Photio	*Architecto mendacium*	*Anathema.*
Photio	*Mæcho, & par[illegible]*	*Anathema.*
Nouo	*Dioscoro*	*Anathema.*
Nouo	*Iudæ*	*Anathema.*

Omnibus sectatoribus, & propugnatoribus eius, & Gregorio Syracusano quondam Archiepiscopo & Eulampio deposito, & Schismatico Anathema.

D *Nescio*

Nescio sanè an magis nobis sapere videamur ipsis Cõcilij Patribus de rationibus nominum Ecclesiarũ eorum temporum; qui procul dubio, nisi Gregorius ante Photij intrusionem, & sui depositionem Syracusarum Archiepiscopus iam fuisset, nunquam eum Syracusanum quondam Archiepiscopum nuncupassent. Hæc Amicus.

Grauem enim verò iniuriam Siciliæ vniuersæ, grauioremq; Veritati conflarem, & tamquam vtriquè iniurius pari pæna mulctandus omnino viderer, si quæ gloriabundus asseuerat Amicus, vel vltro concederem, vel tacitus præterirem. Et codex planè, in quo Photij abiurationes vna cum Gregorio Syracusano quondam Archiepiscopo, & Eulampio deposito, & schismatico leguntur, vel corruptus, vel mendax. Et corruptus quidẽ: cum .n. in omnibus Nicolai Epistolis, in toto octauo generali Concilio Constantinopoli celebrato, de Gregorio Syracusano fit mentio, nunquam, nisi semel Archiepiscopus, semper verò vel Gregorius Syracusanus, vel Gregorius, vel Gregorius dudum Episcopus appellatur. Quin imò cum eædem Photij abiurationes Actione vij. x. & xij. Octauæ Constantinopolitanæ Synodi infra mihi laudandæ perlegantur, vel dudum Episcopus, vel Gregorius proclamatur. Sed antequam ad hanc veritatem de[illegible]andam ex hac ipsa octaua generali Synodo prius accedam, ex hacmet octaua Synodo, cuius inscriptio ea est:
Tom. vij. Concil. *Quæ Sanctam, & OEcumenicam Constantinopolitanã Synodum octauam præcedunt*, luculenter ostendam (quod mihi Amice cõcedas velis, nolis est necesse)

vel

vel pugnantia inter sese Patres dicere, vel locum penitus esse corruptum.

Actione ergo septima sic leges. *Sancta Synodus OEcumenica congregata, iussu Imperatoris Baanes Praepositus dixit: Ad praestitutam diem Photius adest, si ergo placet Sanctitati vestrae introducatur.*

Legati dixere. Ingrediatur.

Introducto Photio Scipioni innixo vna cũ GREGORIO SYRACVSANO EPISCOPO, *Marinus Romanae Ecclesiae legatus dixit: Tollite illi de manu baculum; est .n. dignitatis Symbolum pastoralis, qua ille indignus est.*

Post paulò sic Patres.

Quae verò in nostra Synodo de vsurpatore eiusdem Satellitio, dequè Ignatio Patriarcha, & ijs, qui sunt partes Ignatij secuti, necnon de sacris Imaginibus decreuerimus, in sequentibus capitibus exponentur. pag. 957.

I.

Photius a schismaticis, & saeculari ministerio, a Curia, militariquè, seu forensi functione repēte attonsus, atquè a GREGORIO SYRACVSANO EPISCOPO *damnato, viuo adhuc comministro Ignatio per vim pulso consecratus, & cum damnatis, anathematisquè vinculis a Sancto Benedicto, qui nos praecessit, constrictis communicans, & conuersans, cum quibus insidias Ignatio Patriarcha concinnauit, nostrosquè legatos Episcopos ad suam pertrahendo sententiam peruertit, quiquè etiam hodie Ecclesiam Dei perturbat, & Patriarcham Ignatium, illiquè adhaerentes in tolerandis cruciamentis affligit, Dei Omnipotentis auctoritate, & Beatissi-*

mi Petri, & Pauli Principum Apostolorum, omniumq; Sanctorum, & venerandarum sex OEcumenicarum Synodorum omni Sacerdotali honore, & nomine sit alienus, & omni clericatus officio prorsus exutus.

II.

GREGORIVM *verò* SYRACVSANVM, *qui thronum* (dignitatem scilicet Archiepiscopalem, & Patriarchalem, vt ego cum Patribus interpretor) *contra Canones tenuit (nam a Benedicto Papa prædecessore nostro sanctissimo ligatus est) Photiumq; laicum repentè è laico consecrauit, omni Ecclesiastica functione priuatum esse decernimus, & declaramus.* Post pauca.

Sancimus etiam de Imaginibus sacris Domini nostri Iesu Christi, & semper Virginis genitricis Dei, omniumq; Sanctorum vsquè ab Abele iusto, Deo gratorum, quemadmodum per orbem terræ vniuersum Ecclesia antiquitus accepit, integrè, sanctèquè colendis. Ob quas Ioannem quondam Constantinopolitanum Antistitem, eiusdemq; sectæ Asseclas, quoad nobiscum sentiant damnatos declaramus. Hæc Apostolica Cathedra decreuit, quæ à vobis etiam sanctissimè sunt obseruanda. Si quis pro defensione dicat Photium a GREGORIO SYRACVSANO QVONDAM EPISCOPO, *a Synodo exauctorato, & anathemate damnato, mandato tamen Imperatoris ad id faciendum impulso consecratum esse; dicat hic, qua lege id fecerit? sæculari potentia neque ligari, neq; solui sacerdotem posse statutum est. Quo pacto igitur depositus post depositionem consecrauit? Quod si rursum dicat* GREGORIVS *se ab Episcopis abso-*

absolutum esse frustra est &c. Hæc OEcumenici *concilij Patres*.

Si ergo hac ipsa septima Actione Patres anathemate perculsum GREGORIVM SYRACVSANVM, vt quondam Episcopum vna omnium voce, omniumquè consensione declararunt; quid causæ est, cur hac eadem vt quondam Archiepiscopum confitentur ab omni prorsus Ecclesiæ societate segregatum? Dici, affirmariquè non potest, quod Patres Præsulum in iudicium vocatorum titulos ignorent. Ego corruptus locus. Nequè hoc abs re. Si .n. ausus est Photius Pontificis Max. Ioannis hoc cognomento octaui literas corrumpere, si tertium, si quartum, si quintum, si sextum, si septimum, imo & octauum Concilium ita deprauarit, vt nouum finxerit, dubitandum forte nè est, quin hoc vnum Episcopi verbum in Archiepiscopi vocabulum mutarit ad dignitatem sui Gregorij amplificandam? *Corruperunt alij* (inquit Seuerinus Binius in notis ad Concilium viij. OEcumenicum, seu vniuersale) *è græcorum natione pro more, vt Romani Pontifices, scriptoresquè quiritantur,* Epi*stolas Pontificum, alij nonnulla conciliorum acta. Corruptum fuit iij. iv. v. vj. vij. imo & Octauum* Concilium, *sed* PHOTIVS *non corrupit tantum, verum à vertice vsquè ad extremum vnguem, nouum, & OEcumenicum Concilium finxit, & procudit, falsos legatos ex vrbe, falsos ex omnibus Patriarchijs Vicarios suppòsuit. Duo præterea alia, quæ item OEcumenica dici poterant, si fraus adfuisset, corrupit. Alterum sub Nicolao primo, in quo ipsos legatos pontificios dorica*

Tom. vij. Cōcil. pag. 1019. & seq.

pag. 1043 eiusdē tom. vij.

arte circumuenit, impulitquè, vt sanctissimum virum Ignatium abdicarent. Alterum *sub* Ioanne *viij, vbi non solùm legatos Pontificios in fraudem illexit, sed ipsi quoquè Pontifici imposuit, ex quo ille non mediocrem infamia labem contraxit. Postremo non tacendum ex vita Ignatij Patriarchæ, & hoc Concilio OEcumenico, aliqua multa passim ex versione Federici Metij Reuerendiss. Thermularum* Episcopi *extare apud Card. Baronium x. tom. Annal. quæ cum nostra interpretatione non vsquequaq; semper conueniant, quod ex græcorum Codicum inter se variantium scriptura potuit accidere, quãquam non admodum etiam differant, si non verba, sed sententiam spectemus. Hæc Binius.* Accepisti de PHOTIO, accipe quæso nunc de Barda. BARDAS (sic habes in historia Octauæ Synodi Constantinopolitanæ) *quod horribilius est, Cõciliabulum præsidente Michaele Imperatore colligit, falsos homines quasi Vicarios orientalium sedium format, accusatores muneribus armat, & mendacijs cõstruit, testes eos adsciscit, quos & accusatores opponit. Iudices nonnunquã & in accusati personam admittit, excessus quosdam quasi præfati* Summi *Põtificis fingit, impingit, & sicut putabat, damnatione simul, & anathemate punit. Cũctis qui aderãt, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis clamãtibus nõ esse iustum in summum, & primum Põtificẽ, & præcipuè ab inferiori quomodolibet sẽtẽtiam proferẽdi, cum id nec* Canõ *quisquam admittat, nec aliqua* Ecclesia *cõsuetudo fieri doceat. Verum iste falsarius falsorum excessuum aduersus insõtem absẽtem, & inuictum, mẽdacem* Codicem *compilat; mille circiter Antistitum subscriptiones falsas interserit, sibi nemine prorsus*

pag. 181.

sus cōsentiēte, vel cōscribēte ex illa numerosa Episcoporū *multitudine, nisi vno, & viginti Præsulibus, &c.* Quod cùm ita sit si tanta PHOTIO audacia, si tanta BARDAE impudentia, ac imprudentia fuit, vt pontificias corruperint epistolas, œcumenica finxerint concilia, ac millenas Antistitum subscriptiones deprauarint, estne quis fortasse, qui ambigat, quin hanc dictionem Librarij opera non euerterint, atq; in aliam non commutarint? Hisce non aurum, non potentia, non Imperatoris gratia desiderabatur, aut fauor. Sed dicta, indicta. Ad rem propius accedo. Hac actione septima Constantinopolitani Concilij ideo vna cum Photio deploratæ conscientiæ homunculo GREGORIVS SYRACVSANVS ab Ecclesiæ societate dirimitur, quia, vt cetera omittantur, Archiepiscopalem Syracusarum, ac fortasse etiam Patriarchalem retinere contra Canones thronum non erubuit; itaquè hac vnica tantum actione, vnoquè hoc dumtaxat loco Archiepiscopus appellatur, non quidem honoris causa, sed vt isti vsurpata Archiepiscopi dignitas contra ius, ac fas exprobretur. Id planè sic probatur, vt demonstretur.

Et quidem Actione vij. Concilij Constantinopolitani supra laudati numero ij. sic legitur. GREGORIVM *verò* SYRACVSANVM, *pag. 957.*
qui thronum cōtra Canones tenuit, (nam a Benedicto Papa prædecessore nostro sanctissimo ligatus est) Photiumquè laicum repēte ex laico cōsecrauit, omni ecclesiastica functione priuatum esse decernimus, & declaramus.

Ne-

Nequè .n. in tota octaua generali Synodo huiusmodi inscripta : *Sācta generalis octaua Synodus Cōstātinopolitana Quarta*, hæc unquam ratio affertur a Patribus, *Qui thronum contra Canones tenuit*, sed quia iste ex Episcopatus gradu deturbatus Photium consecrauit, ac Photium in Constantinopolitanam Ecclesiam propria auctoritate intrusit, vt illi tamquam iustus, ac legitimus Patriarcha præsideret; itaquè vt schismaticus, dictoquè Pontificis minus audiens Episcopus sub dudum Episcopi nomine in Photij eiurationibus infra laudandis appellatur anathema. Verum hæc noua interdicti causa, quod scilicet Archiepiscopalis throni dignitatem & inijt, & retinuit inuito Pōtifice, Patrum animos eousquè permouit, vt hac potissimum ratione Gregorium hoc loco non auscultantem Pontifici, minusquè minas, ac censuras extimescentem, vsurpatæ dignitatis Archiepiscopum, qui eum sese vel prædicaret, vel forte subscriberet, anathemate perculerint. Hac, THRONI, voce vocor ad credendum, impellor ad hanc veritatem asserendam, & Patrum subscriptionibus, & Pontificum auctoritate firmandam, ne vllo vnquam tempore labefactari a quopiam possit.

Tom. 6. Concil. in calce Actionum vij. x. & xij.

Qui Patres in Concilijs (hoc vnum scias velim) vel Metropolitæ Archiepiscopi, vel Patriarchæ iam sunt, sese ita subscribunt, vt sui thronum loci silentio non prætereant. Sic Actione 1. Concilij huiusce iam sæpe memorati

Tom. vij. Cōcil. pag. 925.

Tho-

Thomas Sanctissimus Metropolita, locum tenēs sedis Antiochenæ, eo quod ille THRONVS tum vacaret.

Eiusdem Actione jv. Pag. 941.

Helias Hierosolymitani THRONI *Syncellus dixit. Eadem Theodosio Patriarchæ Hierosolymorum videri.* Actione itidem iv. septimæ Synodi generalis, quæ est secunda Nicænæ sic leges.

Ioannes miseratione diuina Presbyter, & locumtenēs trium THRONORVM *Orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum.* To 3. Cō. impress Romæ in Ren. Cam. Ap. pag. 71.

Thomas miseratione diuina Presbyter, & præses Monasterij S. Patris nostri Arsenij, quod est in AEgypto, locum retinens trium Orientalium Diœcesium.

Vide hinc inter THRONVM, & LOCVM singulare discrimen, ille Archiepiscopalem, & Patriarchalem dignitatem arguit, hic non ita. Satis autem constat Alexandriam Antiochiam, & Hierosolymam suos habuisse Patriarchas, qui & ijdem Archiepiscopi. Qui verò fuerint hi tres Orientalium Diœcesium Patriarchæ Actione iij septimæ Synodi proprio nomine appellantur. *Theodorus Patriarcha Hierosolymorum, Cosmas Alexandriæ, & Theodorus alter Antiochiæ.* Pag. 149.

Quod autem hæc, THRONI, vox non solum Episcopali dignitate maiorem, sed & Archiepiscopalem, & Patriarchalem innuat, satis adstruit Nicolaus I. qui cum ad Michaelem Imperatorem literas exararet, ad Archiepiscopos, & Patriarchas conuersus, hæc habet. *Quod si ea non habetis, de neglectu, atq; incuria estis arguendi: si habetis, & non obseruatis, de temeritate estis corripiendi, & increpan.* Refertur hæc Ep. 8. v. Octauæ Synod. pag. 222. to. 3. Rom. impr.

pan.

pandi. Quod violenter vos ad sacerdotalem dignitatẽ promotos asseueratis, atq; protestamini, vestræ consecrationis tempore non ita esse declaratur: qui postquam in PATRIARCHATVS THRONO *stabiliti estis, non vt Pater in filijs blandus, sed vt immitem in depositione Archiepiscoporum, & Episcoporum, per seueritatem vos demonstrastis. Hæc Sanctissimus Pontifex.* Quid ad rem nostram Amice hoc dicẽdi, scribendiquè genere vel clarius, vel illustrius? Quod si inter THRONVM, & LOCVM hoc discrimen vbique non admittas, admittas saltem est necesse hoc ea Nicolai I. Pont. Max. & Octaui Concilij Constãtinopolitani tempestate vsurpatum; satisquè hinc omnibus ostenditur Gregorium Asbestam vel patriarchicum decus, vel metropolicam Archiepiscopi dignitatem contra Canones vsurpando tenuisse. Quare sicut in anteactis octaui generalis Constantinopolitani Cõcilij Gregorius vt quondam vsurpatæ iurisdictionis Archiepiscopus, ita & in octauo Concilio hic idemmet Gregorius, qui Episcopatus honore priuatus, Photium consecrare non formidauit, vt schismaticus dumtaxat Episcopus ab Christiana Republ. hoc est ab Ecclesia excluditur, distrahitur, segregatur.

Quod certè demonstrare nõ possum, nisi prius abiurationes in Photium, eiusq; sectatores, quæ ad calcem septimæ Actionis Octauæ Synodi perlegũtur aperta oratione proponam. In hoc ergo Octauo vniuersali Concilio Gregorium Syracusanum tuum, & Episcopum, & depositum, & damnatum

natum fuisse comperio; non Archiepiscopum, semper Episcopum, semel in anteactis huiuscemet Octauæ Constantinopolitanæ Synodi dumtaxat Archiepiscopum lego.

In actione itaque septima octauæ Synodi, absoluta iam Ignatij sanctissimi Patriarchæ ad sanctam Synodum acclamatione repente subiungitur. Pag. 796. tom. 6. lut. Paris. impress.

Continuo verò posthac idem Stephanus Diaconus, & Notarius fecit Anathematismum Photij, & sequacium, & cooperatorum eius ita se habentem. Photio Curiali, & inuasori Anathema. Photio sæculari, & forensi Anathema. Photio Neophyto, & tyranno Anathema. Photio schismatico, & damnato Anathema. Photio Mœcho, & Parricidæ Anathema. Fabricatori mendaciorum Anathema. Inuentori peruersorum dogmatum Anathema. Photio nouo maximo Cynico Anathema. Nouo Dioscoro Anathema. Nouo Iudæ Anathema. Omnibus sequacibus, & fauctoribus eius Anathema. GREGORIO *dudum* EPISCOPO SYRACVSANO *Anathema. Eulampio deposito, & schismatico Anathema.*

Inquies corruptus hic locus vt tu ais de meo, vel certè Typographi error. Quid si vnum, aut alterum locum proferam, eritne excusationi quis locus? quemquè ego multiplicibus eiusdē exempli locis profero, tu promere vel alterum non potes. attende sis, quæ subscribo.

Actione viij. eiusdem Octauæ Synodi cap. vi. sic leges. Pag. 806.

Photio Curiali, & inuasori Anathema. Photio sæculari,

culari, & forensi Anathema. Photio Neophyto, & tyranno Anathema. Photio schismatico, & damnato Anathema. Photio Mœcho, & Parricidæ Anathema. Fabricatori mendaciorum Anathema. Inuentori peruersorum dogmatum Anathema. Photio nouo maximo Cynico Anathema. Nouo Dioscoro Anathema. Nouo Iudæ Anathema. GREGORIO *dudum* EPISCOPO SYRACVSANO *Anathema. Eulampio deposito Anathema. Omnibus sequentibus, & fauctoribus eius Anathema.*

Estne hic forte corruptus, vel ne hic Typographi error? Vin' tertium, vin' & quartum vt de hoc ipso Gregorio proferam locum? profero.

Pag. 847. 848. Actione x. eiusdemmet octauæ Synodi sic habes, *Basilius pijssimus, & Christi amantissimus Imperator ad Sanctam Synodum dixit.*

Dicat nunc Sancta, & vniuersalis Synodus, si omnibus Sanctissimis Episcopis concordantibus, atq; consentientibus præsens terminus sit depromptus. Oportet .n. diuina quæquè cum vniuersorum consensu, & consonantia in Ecclesiasticis prædicari, & confirmari collegijs Sancta Synodus exclamauit. Omnes ita sapimus, omnes ita prædicamus, &c. Post pauca.

Photio inuasori, & adultero Constantinopolitanorũ Ecclesiæ Anathema. GREGORIO SYRACVSANO, *& Eulampio Epamiæ depositis, & veritatis Apostatis, & hostibus Anathema.*

Post paulo.

Photio, & GREGORIO, *& Eulampio triplici funiculo nequitiæ Anathema.*

Non hic rusticus quispiam, nõ rudis, sed Sanc-

ta

ta Synodus loquitur. Sancta Synodus Gregoriũ Syracusanum, vt schismaticum Episcopum; & quidem dudum, ab Ecclesiæ societate diremptum & apertè declarat, & apertius ostendit.

Quid hoc ergo, Amice, ad rem nostram luculentius, quid aptius afferri à nobis potest, vt in panormitanæ Vrbis capitolio, plaudente Messana, gratulante Sicilia, clangentibus præuijs Conciliorum tubis, acclamantibus Patribus Veritas omnino triumphatrix esse videatur?

Redeamus ad propositum. Hac igitur veritate posita pro tuo te Gregorio Syracusano quondam Archiepiscopo sic arguo: Hæc particula in anteactis octaui Concilij Constantinopolitani (*quondam Archiepiscopus*) illi particulæ in eodem octauo Concilio, quod est illo posterius, eiusdem Actionis vij. (*dudum Episcopus*) opponitur. Nunquid ergo a Patribus de Gregorij dignitate dubitatum? cum ab hisce qua Archiepiscopus, qua vero Episcopus appelletur? Quid? oblitine, qualisnam sit iste, Gregorij? Quid sibi non constant Patres? minimè verò. Dicendum ergo vel hunc locum a Photio hanc artem profitente fuisse corruptum, vel Gregorium in hoc Concilio ab Ecclesia segregatum, tum quia schismaticus, ac depositus Photium consecrauit, tum quia contra Canones Archiepiscopi, & Patriarchæ thronum retinere, ac titulum vsurpare non erubuit. Quoniam verò probè callebant Patres Gregorium Syracusanum ea tempestate creatum nuper Episcopum fuisse, proinde semper vel Gregorium,

vel

vel dudum Episcopum appellant. Ecce tibi Octauæ Synodi vox Actione vij.

Cap. I.

Tom. 3. Cōcil. Rom. imp. pagin. 243.

Photius, qui ex schismaticorum & se à sanctæ communionis participatione auertentium parte esse dignoscitur, & à sæculari administratione, atq; militia, & ex foro subito tonsuratus à GREGORIO SYRACVSANO *dudum* EPISCOPO *à Synodo damnato, atq; ab Apostolica sede conuicto, Episcopus ordinatus.*

Cap. II.

GREGORIVM *sanè, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præest, eo quod & ipse ex parte schismaticorum sit, & postquam à Synodo* EPISCOPATVS *officio priuatus, & à decessore meo sanctæ memoriæ Papa Benedicto obligatus est, & Photium laicum subito consecrare in Episcopum non formidauit.*

Erat ergo ante octauam generalem Synodum dudum Episcopus Gregorius, qui non ob aliam rationem & à Benedicto iij. & ab Nicolao I. Summis Pontificibus anathemate percussus, nisi quod & schismaticus, & damnatus Episcopus, ac minus dicto Pontificis audiens Photium consecrare in Episcopum non formidarit. Noua igitur causa intercessit, cur approbante Adriano ij. sub quo habitum est Concilium Octauum Constantinopolitanum, Gregorium Syracusanum, vt quondam Archiepiscopum Synodi Patres ab Ecclesiæ societate segregarint. Ego quidem nullam planè aliam, nisi superius allatam comperio, quod scilicet Archiepiscopi dignitatē ambitiosus vsurparit,

parit; quem non Benedictus iij. non Nicolaus j. non demum Adrianus ij. Pontifices Maximi ad eum dignitatis gradum euexerunt; cum priores duo vt ſchiſmaticum, vt Epiſcopum depoſitum, vt damnatum; hic vero & vt ſchiſmaticum, vt Epiſcopum damnatum, ac depoſitum, nec non, & vt dignitatem Archiepiſcopatus, ſeu etiam Patriarchatus vſurpantem vniſona Patrum conſenſione damnarit.

Quare in Photij anathematiſmo dum ea verba perleguntur (GREGORIO SYRACVSANO QVONDAM ARCHIEPISCOPO) conſentiēte, & approbante ſancta Synodo, ſic intelligenda, Patres ſcilicet anathemate ferire Gregorium, quod olim contra Canones, & Archiepiſcopi, & Patriarchæ thronum retinuerit, ac propria auctoritate ſeſe in Archiepiſcopalis dignitatis apice collocarit; cum iſte reuera ſit, & ab omnibus habeatur Epiſcopus, qui ſub Epiſcopi nomine ſemper ab Eccleſiæ gremio in tota octaua generali Synodo diſtrahitur, ac omnino ſegregatur.

Reliquum eſt, vt videamus, quod cōſectarium eſt, num iſte Gregorius vel a Pontifice Nicolao j. vel a Conciliorum Patribus vnquam fuerit appellatus Archiepiſcopus.

Et quidem Pontifex Nicolaus Epiſ. ix. *Porro, ſi dicitis*, ait GREGORIVM *ab imperio veſtro, & ab Antiſtitibus fuiſſe receptum, percontari libet, O ſapientiſſimè Imperator &c.* poſt pauca ſic concludit, *Et idcirco affatim approbatur* SYRACVSANVM GREGORIVM *per imperialem tantummodo ſenten-* In tom. vi. Conc. impr. Lut. Pariſ. pag. 520. mihi.

ten-

tentiam nullo modo valuisse reconciliari. Et post paulo. *Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu* SYRACVSANVS GREGORIVS *se gloriatur absolutum?*

pag. 534. Epist. x. *Iudicate, cui potius resistendum sit potestati, quam in Petro Deus Omnipotens ordinauit, quam super cunctam Ecclesiam extulit, an ordinationi* GREGORII SYRACVSANI?

pag. 542. Et demum Epist. xiij. vt reliquas omittamus, *Anathematizamus pariter & GREGORIVM, qui Syracusanæ Ecclesiæ Deo contempto præest.*

pag. 722. to. 6. Quid Concilia? summatim nonnulla delibemus. cap. 1. Actionis primæ Octauæ synodi sic habes. *Papa Nicolaus in Photio, & in manus impositione eius sola, & in* SYRACVSANO GREGORIO *dedit definitiuam damnationem.*

pag. 730. 731. Actione iij. *Quamobrem & in eis super quibus a nobis dispositiones, & discretiones exigis, nihil sequendum præter eius diuinitus inspirata decreta, conspicimus præ omnibus, & super omnia* GREGORIVM SYRACVSANVM, *Photium tyrannum,*

pag. 750. Actione vij. *verum ille solus, qui ante depositus, & anathematizatus est, tam a Patriarcha Ignatio, quam ab Apostolica Romanorum Ecclesia* GREGORIVS SYRACVSANVS *damnatus, & depositus est.*

pag. 757. Actione viij. eiusdem demum Concilij. *Introductus est Photius baculo innixus, & cum eo* GREGORIVS *dudum* EPISCOPVS SYRACVSANVS.

Videamus etiam qui in Constantinopolitana synodo octaua sub Adriano ij. Pōt. Max. celebra-

ta hic idem Gregorius appelletur? cum hæc tota, tota, quanta, quanta est in Photij depositione, & in Patriarchæ Ignatij restauratione versetur.

Actione ergo 1. Octauæ Synodi Constantinopolitani sic exorditur sanctaSynodus. tom.vij. Conc. pag. 928.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Imperatoribus religiosissimis Dominis nostris, Basilio, & Constantino eius filio semper Augusto. Prima salus est rectæ fidei regulam custodire; deinde à constitutis Dei, & Patrum nullatenus deuiare, quæ nos secuti anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui aduersus sacros Canones repente de curiali administratione, & sæculari militia superstite sanctissimo Patriarcha Ignatio Constantinopolitanam Ecclesiam latronum more per quosdam intrusus schismaticos inuasit. Amplectimur & Sanctam Synodum, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus celebrauit; cui tu quoq; Domine coangelice summe Pontifex Adriane subscripsisti, recipimusq; omnes, quos recipit illa; damnamus omnes, quos damnauit illa; præsertim Photium, & GREGORIVM SYRACVSANVM parricidas videlicet, qui contra spiritualem Patrem suum linguas exerere minimè formidarunt.

Est ne clarum hoc testimonium extuomet Octauo Constantinopolitano Concilio, quo tu maximè gloriare, depromptum? accipe aliud nõ minus clarum. Actione vj. *Quodsi GREGORIVS SYRACVSANVS, qui illum* (Photium videlicet) *consecrauit, depositus est, Photius tamen extra culpam est; illi Rei sunt, qui illum prouexerunt. Imo etsi* pag. 748.

GREGORIVS depositus est.

Et post pauca.

GREGORIVM *verò* SYRACVSANVM, *qui Photium consecrauit, Ignatius Patriarcha deposuit, non vt* Ecclesiæ *desertorem, sed propter criminales causas.* Et *ipse quidē* GREGORIVS SYRACVSANVS EPISCOPVS *ritè abdicatus iudicabitur semper.*

Estne hoc clarius? ecce tibi vel ab ipsis Patribus Præsulum titulos non ignorantibus Episcopi nomine Gregorius appellatur.

Superest, vt hoc clarissimum proferatur. Actione vij. in qua tu grandioribus asseueras, Amice, characteribus, Gregorium à Concilij Patribus Syracusanum Archiepiscopum nuncupari. En sancta Synodus. *Introducto Photio* Scipioni *innixo vna cum* GREGORIO SYRACVSANO EPISCOPO &c.

Ex his liquet satis dictum illud tuum, Amice, non omnino consistere, cum id à veritate mirum quantum abhorreat, Gregorium scilicet Syracusanum ante Photij intrusionem, & sui depositionem Syracusarum Archiepiscopum fuisse; liquet, inquam, dictum istud non consistere, cum non modo Capite primo Actionis vij. sancta Synodus luculentissimè his conceptis verbis affirmet: *Photius à schismaticis, & sæculari ministerio à Curia, militarique, seu forensi functione repente attonsus, atque à* GREGORIO SYRACVSANO EPISCOPO *damnato*: sed, & etiam Capite 2. *Si quis pro defensione dicat Photium à* GREGORIO SYRACVSANO *quondam* EPISCOPO *à Synodo exauctorato, & anathemate dam-*

damnato.

Ergo antequam à Synodo Gregorius exauctoraretur, & anathemate damnaretur, Archiepiſcopus non erat; cum ſancta Synodus hoc de Gregorio Archiepiſcopi nomen non vſurpet.

Nequè dicas velim Gregorium, antequam Adrianus ij. Pontifex ſederet, Archiepiſcopum fuiſſe; cum ab Adriano in Photij anathematiſmo vt Archiepiſcopus Anathema declaratur. Ne, inquam, id dicas; tibi.n. egregiè occurrit & Cardinalis Baronius, & Nicolaus Pontifex I. Ille ſic habet. *Talibus ergo auſpicijs Photius, rurſus in ſedem intruſus eſt, factumq; hoc modo vt GREGORIVS SYRACVSANVS EPISCOPVS, omnium malorum origo illa tandem careret ſede, è qua ſæpè* (ſcilicet Epiſcopali ſede) *iudicio Romanorum Pontificum, & octauæ Synodi priuatus erat: ſed fauore Imperatoris diutius retinens illam opera Sarracenorum ea priuatus eſt, qui à Photio Nicæam translatus ſtatim perijt. Hic vero Adriano poſterior, & Benedicti ſucceſſor te nolentem, reclamantemq; reſpondendo concludit. GREGORIVM ſanè, qui Syracuſanæ Eccleſiæ irregulariter, atquè Deo contempto praeſt, eo quod ipſe ex parte ſchiſmaticorum ſit, & poſtquam a Synodo EPISCOPATVS officio priuatus, & a deceſſore meo ſanctæ memoriæ Papa Benedicto obligatus eſt &c.*

Ad annū Chriſ. 878. annal. pag. 547. mihi.

cap. 2. Act. vij. oct. Synod. pag. 951.

Quid ad hæc? Illud demum ſilentio prætereundum non videtur, quod ad rem noſtrā meo quidem iudicio maxime facit, maximequè aduertendum, quod cum Gregorius ab S. Eccleſiæ gremio communi Patrum conſpiratione vt Ar-

chiepiscopus in anteactis Octaui Concilij Constātinopolitani Actionis vij. calce, quod inscribitur: *Quæ sanctam, & OEcumenicam Constantinopolitanā Synodum præcedunt*, diuellitur, atquè distrahitur, vel ea potissimum de causa anathemate ictus enunciatur; scilicet vt ostendat sancta Synodus Gregorium vt quondam Archiepiscopum anathemate perculisse, quod THRONVM CONTRA CANONES TENVIT, hoc est, dignitatem Archiepiscopalem, & Patriarchalem inuito Pontifice propria auctoritate vsurpauit. Quare in anteactis huiusce Concilij hæc fuit Patrum mens, hoc institutum, hic finis, vt patet hæc Concilij anteacta lectitanti. At in Octauo Constantinopolitano Concilio, quod est illo posterius, non bis, non ter, sed quater & qua Gregorius, & qua Gregorius vt dudū Episcopus anathema declaratur, quia schismaticus, & depositus Photium consecrare non formidauit, Ecclesiæquè censuras, ac Pontificū minas mira quadam imprudentia, impudentiaquè neglexit. Quare in illa septima actione laudata nihil aliud spectasse videtur sancta Synodus, quam Gregorium vt Archiepiscopum se falso nuncupantem anathemate ferire, & ex Archiepiscoporum albo expungere, & in Cōstantinopolitano Concilio (priori iam nūcupatione reiecta, & ab omnibus satis, superquè perspecta) semper vt Episcopum schismaticum, vt depositum, vt damnatum proponere, exponere, declarare. Ceterum tuum erat, Amice, vt iudicium hac de re meum feram; quod ex me vi quadam importunus extor-

torques ad ſententiam tuam omnino vel probandam vel demonſtrãdam totum Concilium Octauum Conſtantinopolitanum in duplicem partẽ diſtributum diligenter euoluere, diligentius lectitare, in quo de Photio, deque GREGORIO SYRACVSANO DVDVM EPISCOPO depoſito, ac damnato fere ſemper habetur oratio, teſtimonia proponere, abiurationes Photij, & Gregorij Epiſcopi damnati laudare primum, deinde exponere, multis explicare, non præterire ſilentio; ac pedetentim ad propoſitum tuum deueniẽdo ARCHIEPISCOPVM GREGORIVM SYRACVSANVM, qui ſemper dictus Epiſcopus, oſtendere; tum qui hoc Archiepiſcopi nomen Gregorio adſcriptum, ſub quo Imperatore, quonam anno, a quonam Pontifice (ſi minus a Põtifice, ſed à ſchiſmatico, Archiepiſcopus non eſt, & ridicula diſputatio) vt hac ratione explanatis difficultatibus tuam ſententiam probares, & illuſtriores redderes Syracuſas, veriq; hiſtorici nomẽ aſſequerere. Tu verò hæc premis loca, virũ promis; qui ſi verò tibi dumtaxat vni ſcribas, vt initio dixi, non omnibus, qui ad inueſtigandam, cognoſcendamquè veritatem ita impelluntur, vt nocturna, diurnaquè manu libros verſent, libros volent. Haud vulgare viri docti præmium veritatis aſſecutio. Hanc autem curam ex te, diligentiamq; Amice deſiderabam; hæc hiſtoricos decet, hæc eruditos tibi ſimiles viros. Sic animi cãdor, quem glorIabundus orbi terrarum polliceris, ac ſpõdes, illuxiſſet tui. Hæc ſatis.

Sed

Sed ne videar hæc tibi vel ex praua quadam animi affectione pellectus, vel iracundia permotus exprobrare, breuiter adijciam, quæ sentit Piccolus de tuo Gregorio Asbesta, quem fauctorem, & adiutorem suum creauit Photius Archiepiscopum, omnesq; sibi familiaritate deuinctos amplissimis amplificauit honoribus; vt satis cōstet nihil tibi propositum, atq; oppositū, quod vel Pirrhus, vel Piccolus aut non reiecerit, aut soluerit, aut explicarit. Ignatio, sic habet Piccolus, per vim, & scelus ab Episcopatu pulso, Syracusanus Gregorius solus repertus est, qui Photium inuasorem consecrare auderet, totamq; illam in sanctissimū Pontificem tragædiam adornaret, fingeret, ad exitum perduceret, vt mirum sit in Episcopalis ordinis homine tam exitialis odij flammas tā diù arsisse, tantam repertam esse mentis proteruiam, tantam dicendi, fingēdiquè peritiam, an insaniā, vt non modo Orientalem Ecclesiam pro libidine huc illuc trahere, sed & Romanæ fucum facere potuerit. Eò fit, vt minus multò mirandum sit, tantum hominem tam insigniter de Cōstantinopolitana sede meritum, siue ob tentatam in Romanum Pontificem rebellionem, siuè ob nauatā Photio operam rependendæ gratiæ, Archiepiscopali, & mox metropolica dignitate fuisse exornatum. Satis constat tanti eum Photium fecisse, vt cum fortasse Syracusana Cathedra impēdentibus sarracenis minus frui Gregorius posset, Nicæam eumdem transtulerit, & nō multò postea defunctum tam honorificis encomijs publicè laudauerit,

De antiq. iure Eccl. Sic. p. p. c. xxvi. pag. 72. 73.

ac si,vt quidam scribit, eam vitam egisset, vt cum magnis illis Patribus comparari posset. Hæc Albertus. Eum consule loco laudato; in quo leges Theodorum quemdam a Caria ad Laodicensem Metropolim a Photio translatum, Samuelem, qui ad illum diem Chonarum Antistes Laodiceno subiectus fuerat, Archiepiscopi honore dignatum, Ignatium Monachorum Archimandritã S. Ignatij desertorẽ Hierapoleos Metropolitam factum. *Nicet. in vit. Ignat. Patri.*

Stet ergo, Amice, Gregorium Asbestam damnatum Episcopum, neque a Sanctissimo Pontifice Nicolao, neque ab Adriano ij. neq; a Conciliorum Patribus Archiepiscopum Syracusanũ fuisse nuncupatum; licet hũc Photius de more & creauerit, & nuncupauerit Archiepiscopũ; cuius thronum cum contra Canones tenuerit, merito à sancta Synodo Gregorius ab Ecclesiæ societate dirimitur.

Tecum igitur mihi liceat effari verborum ordine tantisper immutato. Nescio sanè an magis nobis sapere videamur ipsis Concilij Patribus de rationibus nominum Ecclesiarum, qui proculdubio, si GREGORIVS ante Photij intrusionem, & sui depositionem SYRACVSARVM ARCHIEPISCOPVS iam fuisset, nunquam eum Syracusarum dudum Episcopum nuncupassent. *Anton. de Amic. in calce cap. I pag. xx.*

CA-

Num Syracusanus Archiepiscopus legitimum olim in vniuersa Sicilia primatum obtinuerit.

Prima ratio refellitur.

Pag. 23. VBi retulit Amicus Anacleti Epistolam, quæ certè, ni fallor, in Metropoles omnes cadit, hæc addit tamquam sententiæ victor de suo. *Quẽ verò fugiat Vrbi Syracusanæ nihil eorum defuisse, quæ in sacris constituendis Metropolibus Apostoli, & Pontifices dicuntur hic inspexisse? Hactenus iste.*

Nihil inde, quod totum, Amice, sit tuum. Vnũ, aut alterum tibi ex Anacleti Epistola demonstrãdum. Primum Syracusis fuisse primam judiciariã totius Siciliæ potestatem; Secũdum verò Episcopos totius Siciliæ ad Syracusanum ex occasione Præsulem confugisse, atq; appellasse. Quæ duo in ijs Anacleti verbis haud obscurè continentur. *Et in capite,* inquit Pontifex; *Prouinciarum, vbi dudum Primates legis sæculi erant, ac prima iudiciaria potestas, ad quos qui per reliquas Ciuitates commorabãtur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatoris, vel Regum confugere non poterant, vel quibus permissũ non erat, confugiebant pro oppressionibus, vel iniustitijs suis, ipsosquè appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat: ipsis quoque in Ciuitatibus, & locis nostris Patriarchas, vel Primates, qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina: leges diuinæ, &*

Ec-

Ecclesiasticæ poni, & esse iusserunt, ad quos Episcopi (si necesse fuerit) confugerent, eosquè appellarent, & ipsi primatum nomine fruerentur, & non alij, &c.

Verum in vtraquè propositione probanda, quanta difficultas Amice? Omnium eloqui, paucorum probare est.

Imò quis est, qui non videat hanc tuam argumentandi rationem ab omnibus Siciliæ principibus vrbibus, quas suis Antistitibus Apostoli collustrarunt, vsurpari? cum Messana, Catina, Tauromenium, Agrigentum, ac Panormus dicere iure optimo possit ex te mutuando argumentum, ornamentumq; dicendi. Quem verò fugiat, Messanæ (sic de Messana Messanensis, quodq; de hac dumtaxat vna dixero, de ceteris me dixisse putes velim) Catinæ, Tauromenio, Agrigento, ac Panormo nihil eorum defuisse, quæ in sacris constituendis Metropolibus Apostoli, & Pontifices dicuntur hic inspexisse? Huiusce propositionis probationem non adijcis, cum ea, vt tibi videtur, probatione non egeat. nec adijciunt pro suis vrbibus & ceteri. Par vtrobiq; ratio. Nisi forte velis hanc te tua Historiographi regij auctoritate probasse: quodq; olim in publicis, priuatisq; orbis terræ Academijs de Pythagora dictitatum, Pythagoras dixit; id ipsum de te hac tēpestate probetur: AMICVS DIXIT.

Iam verò quoniam sibi visus ea vnica dictione tamquam Mathematica demonstratione, sibi dūtaxat, non ceteris, suam satis, superq; probasse sententiam, subdit & aliam consecutionem meo

quidem, omniumquè iudicio difficiliores continentem difficultates.

pag. xxv. & xxvi. *Quis nesciat*, sic ait Amicus, *in profana politia ferè totius Siciliæ Metropolim Syracusas fuisse, quo tempore a S. Petro Martianus illuc Episcopus est directus: Sanè Tullius Act. ij. in Verrem: Maximam græcarum vrbium, pulcherrimamq; omnium appellauit. Et in eadem oratione: ea tanta est Vrbs, inquit, vt ex quattuor Vrbibus maximis constare dicatur. Valerius Maximus caput Siciliæ Syracusas nuncupauit lib. 2. cap. vij. Lucius Annæus Florus grauiter idem affirmat his verbis: Sicilia mandata Marcello nec diù restitit; tota n. Insula in vna vrbe superata: grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracusæ. Solinus item de Sicilia loquēs, Principem, inquit, Vrbium habet Syracusas. Mitto alios solis contentus priscis. Cum igitur Syracusis politicum, & ciuilem Siciliæ primatum viguisse compertum est, quis dubitet ea ipsa in vrbe ab Apostolo Petro, & subsequentibus Romanis Pontificibus Ecclesiasticum etiam constitutum? Hæc Amicus.*

Quam ingens mihi campus aperitur ad scribēdum, ad confutandum. Sed quæro hoc obiter abs te, Amice, verbum illud (*Ferè*) Quis nesciat in profana politia ferè totius Siciliæ Metropolim, &c. nonne cadit in D. Martiani tempus, quo tempore D. Petrus hunc Syracusas amandauit? Negare non potes. Sed nihil certi dictio illa, Ferè, concludit. Qui ergo hanc probas primò Tullij auctoritate propositionem? nimis longè enimuero petita probatio; cum ille ante sexagesimum annū, qui præcessit Christi exortum, summa cum Ro-

ma-

manæ Reip. orbisq; terrarum gratulatione floruerit. Qui itidem Solini, Valerij Maximi, ac L. Annæi Flori oratione confirmas? abit in nimis remota tempora confirmatio; cum priores duo, de tertio non constat, nonagesimo a partu Virginis anno & vixerint, & historias pænè conscripserint. Suis temporum certis, ac annorum notis distinguuntur historiæ. Sic rerum a nostra cognitione remotarum monumenta probantur. Ceterum tibi laudati Historici vel ad rem tuam non faciunt, vel certe nullam creant difficultatem; cum horũ omnium auctoritates dicendæ potius Rhetorum amplificationes, quam veræ, firmæque sententiæ Historicorum sic de Syracusis vrbibus rectè sentientium. Quod si eam de Syracusis ferrent vnanimi conspiratione sententiam, itaquè reapse sentirent, sua interpretatione non carent, quæ a veritate prorsus non abhorret. Quare cum Tullius vrbem Syracusas maximam Græcarum vrbium vocat, rectè hanc vocat, cum ea ex quattuor vrbibus maximis constare dicatur. Quod si quandoquè sicularum vrbium caput appellatur, græcarum Vrbium caput appellanda, cum perinde sonet ex Diodoro Siculo, & ex Thucidide hoc sicularum, & græcarum vrbium commune vocabulum. Ita explicandus est L. Florus, dum ait, *Grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracusæ*, hoc est, græcarum vrbium grande, & inuictum caput. ita etiam intelligendus est Valerius Max. ita intelligendus & Solinus, qui, dum de Sicilia loquitur: *Principem*, inquit, *Vrbium, scilicet græcarum*

P. Aloysius Contarenus in suo viridario.

Act. 2. in Verr.

lib. II. c. vi

lib. II. c. 8.

cap. xi.

rum habet Syracusas. Fatearis ergo est necesse in profana politia ferè totius Siciliæ Metropolim nõ fuisse, quas profectò sicularum omnium vrbium affectasse quidem imperium, non obtinuisse constat ex Diodoro, ex Thucidide, & ex Polybio satis.

Summatim ergo, quæ supra dixi de Sicilia, breuiori orationis anfractu repetamus, eam scilicet in duplicem partem, seu Prouinciam fuisse antiquitus distributã: alteri Syracusana, alteri verò vrbs Panormus præfuit. Illi græcæ vrbes, huic Carthaginienses paruere. Græcarum igitur illa, hæc Carthaginiensium Metropolis. liquet vtrũque. Et primò quidem vnus præ ceteris eloquentiæ parens Tullius supra laudatus actione vj. in Verrem, & Diodorus sicularum rerum scriptor egregius mihi munit viam: *Vrbem*, inquit ille, *Syracusas, maximã esse græcarum vrbium, pulcherrimamq; omnium sæpe audistis*. Haud satis scio, num loqui potuerit luculẽtius Oratorum Princeps. Diodorus verò, vbi prælium ab Agrigentina vrbe cõmissum ob Ducetij ex Corintho fugientis aduentum paucis exposuit, de Syracusis sic habet.

Ipsaque vrbes in Sicilia græcæ summam Imperij, & rerum administrationem sponte pænes Syracusios esse permiserunt.

Quid ergo hoc scribendi genere vel clarius, quid ad rem nostram vel aptius, vel congruẽtius? Apud Diodorum itaque perinde nomen illud sonat, VRBIVM SICVLARVM, AC GRAECARVM VRBIVM, cum is ad libri secundi calcem qua Vrbium sicularum, qua Græcarum

Vrbium principem Vrbem Syracusas appellet. Quod si hac de re paulò exactius, ac distinctius ratiocinari vel Diodoro duce velimus, Syracusas non omnium Sicularum Vrbium id tẽporis principem extitisse, cum Trinacria vna, vt de ceteris sileam, post ab Syracusanis copijs funditus deleta, sub Syracusanæ Vrbis ditione non vixerit, vnique Syracusarum imperio non paruerit. *Hinc cum Syracusani*, inquit Diodorus, *cunctas siculas vrbes suo imperio subdidissent, Trinacria dumtaxat excepta, hanc quoquè bello adoriri statuerũt. valdè .n. opes Trinacriorum suspectas habebant, veriti ne quando siculorum gentis cognatæ imperium ad se transferrent. Hæc vrbs multos, & magnæ virtutis viros semper habuit, ideoquè principatum inter vrbes siculas semper obtinuit; viros .n. ad gerenda prælia idoneis, & celsos ob fortitudinem spiritus habentibus plena erat. Ideo cunctas e Syracusis, & socijs vrbibus copias contrahunt, easquè in Trinacrios educunt. At hi externo sociorum præsidio destituti præter ceteras vrbes, quæ Syracusanis parebãt, ingens certamen commiserunt, & animosè, fortiterquè sese periculis obiectantes heroicè dimicando vniuersi oppetierunt. maior .n. pars sauciorum, quod captiuitatis ignominiam subire nollent, vltro se vita abdicarunt. Syracusani ergo tam illustrem de his, qui inuicti hactenus fuerant, victoriam adepti incolis in seruitutem redactis vrbem solo æquarunt. Ex manubijs verò pretiosissima quæquè ad grates Deo persoluendas Delpho trãsmisere. Hæc Diodorus.* Lib. xij.

Deleta ergo Trinacria totius Siciliæ imperium affectantes Syracusani maximam, ornatissimamq;

clas-

classem terra, mariquè comparauerũt, vt id, quod secum animo cogitarent, facili negotio cõsequerentur. *Syracusani,* sic prosequitur Diodorus, *re, vt, dictum est, feliciter gesta, triremes extruxerũt; & equitum numero conduplicato, terrestribus etiam copijs operam dederunt. Vt verò magnam vim pecuniæ conficerẽt ampliora subditis per Siciliam tributa impetrarunt. Id propterea ab ijs factum, quod totã Siciliam suo imperio paulatim subiungere meditarentur. hactenus ille.* Ex his, Amice, desiderium Syracusanæ vrbis infertur, non imperium deducitur. Verum progrediamur vlterius. Et planè hæc Syracusanos fefellit opinio; ij.n. qui dudum Leontinos bello fatigauerãt, Gorgiæ opera, qui Athenas se contulit, Athenasq; sua dicendi ratione permouit de aduentu Atheniensium commoniti ad sese tuendos copias colligunt, & vires, ac repente è vestigio in omnes Siciliæ vrbes non DVCES, qui cogerent imperio, sed ORATORES, qui precarentur, ablegarunt, vt Vrbes, populiquè in vnum congregati Syracusis ferrent omnium conspiratione suppetias. *Syracusani,* ait Diodorus, *quamprimum intra fretum esse classem Atheniensium cognouerunt, tres summa potestate Duces creant, Hermocratem, Sicanũ, & Heraclidem, qui conscriptis militibus per legatos Siciliæ vrbes sollicitant, atq; rogant, vt pro communi omnium salute arma secum capessant. Atheniẽses .n. prætextu belli Syracusis inferendi nihil aliud constitutum habere, quam vt totam suæ potestati insulam subiiciãt. Ad quod Agragantini, & Naxij in Atheniensium societate permansuros respondent. Camarinæi, & Messenij se à bello vacaturos*

Lib.13.

turos protestantur, responso de socialibus armis in aliud tempus reiecto. Himerei, & Selinuntij, cumque his Getoi, & Catanai auxilia promittunt. Siculorum equidem vrbes etsi beneuolentia quadam ad Syracusanorum partes inclinabant, quietem tamen amplexæ, quo tandē belli moles recasura esset, dubijs animis præstolabātur. Hæc Diodorus. Est ne clarum hoc testimonium? ex eodē aliud clarius. *Trasibulus,* qui Hieroni successit, *improbitate,* ait Diodorus, *germanum ante se Regem excessit, cum .n. ad vim, & cædes maiorem in modum propensus esset, multos ciuium præter ius, & æquū è medio tollebat, nec paucis per falsas criminationes in exilium actis, damnatorum facultates in fiscum referebat. Ad extremum odio ciuium ardens, & illorum contra quibus iniurias faciebat, odia erga se accēdēs numerosam militum stipendia facientium manum contraxit, vt hoc præsidio contra vim ciuium muniret. Cumque in dies magno ciuium contra se odio aggrauaretur, multos contumeliosè tractās, nec paucos iniusta cæde opprimēs, iniuriarum tandē impatientes a se desciscere coegit. Ideoquè Syracusij nouis sibi ducibus creatis, tyrannicæ dominationis iugum excutere coniunctis viribus properant, & a Ducibus in ordinē distributi, armis libertatem asserunt. Thrasybulus ergo totam in se armarē ciuitatem videns, primò verbis seditionem opprimere nititur. Vbi verò tantopere cōcitatum sensit populum, vt nulla ratione placari posset, Ciues ex Catina, non ita pridem in Coloniam ab Hierone illuc missos, reliquosq; socios, & mercenariorū nō exiguas copias accersit, & ad xv. millia exercitum cogit. Tum eam vrbis partē, quæ Acbradina vocatur, Insulamq; probè munitam occupat. inde* Lib. xi.

cre-

crebris hostē eruptionibus lacessit. At Syracusani principio illum vrbis tractum insederant, qui Ityca nomine insignis est, vnde ipsi bellum cient. Missisq; Gelam, Agrigentum, Selinuntem, & Himeram, cetera sq; Siculorum vrbes mediterraneas LEGATIS *orant, vt suppeditatis quam primum auxilijs, operam in recuperanda Syracusarum libertate sibi nauarent. Hactenus Diodorus,* & Nos de Syracusana vrbe græcarū vrbium Metropoli cū Diodoro hactenus. Quid Thucidides? Diodori ne sententiam reijcit, an sectatur? qui dū planè de Athenienſium classe in Siciliam plenis velis aduentante, ac Syracusas inuadente verba facit, sic habet. E*rant autem Syracusanorum sociæ, præter Camarinam, ceteræ Dorides Ciuitates, quæ cum Lacedæmonijs ante cæptum bellum societatem contraxerunt.* Idem lib. vj. cum pro Syracusana libertate asserenda Hermocratem verba faciētem induceret hæc ait. *Quò magis audacter, & quæ hic opus sūt, præparemus; & ad Siculos mittendo alios firmiores reddamus, aliorum societatem, amicitiamq; contrahere tētemus. Neque ad* SICVLOS *modo, verum ad ceteros quoque* SICILIENSES *mittendo legatos ostendamus, commune hoc periculum esse &c. Hæc ex Thucidide.* Quid ergo hoc dicendi genere vel clarius, vel distinctius potest à quouis afferri; cum hic planè nō in sicilienses, sed in siculos habuisse Syracusæ videantur imperium, itaq; vrbs Syracusæ non Siciliensium, sed siculorum, hoc est grecorum, græcarumue vrbium appellanda Metropolis.

Thucid. l. 3. f. 23. mihi.

Demum, vt hæc veritas sole clarior existat, non omittendus est hoc loco Polybius, qui vt ostēdat nun-

nunquam in tota Sicilia dominatas fuisse Syracusas sic non obscurè perscribit. De vna, & altera vrbe Siciliæ Principe, scilicet Messana, ac Panormo, pro quarũ amplitudine retinenda, dignitateque seruanda volens scribo, lubens certo, erit satis huiusce proferre testimonium apertissimè demonstrantis nunquam sub Syracusana ditione vixisse Messanam, nunquam stetisse Panormum. Et quidem vtrumquè verax, vtrumquè graue. De Messana ergo sic habet. *Carthaginienses, atquè Syracusani MESSANAM obsidebant, &c.* Nihil pro Mamertina Rep. hac vnica dictione honorificẽtius, excellentius nihil, cum vel Polybius, vel Felinus, quem laudat, luculenter ostendat Syracusis subiectam nonunquam fuisse Messanam, masculosq; animos, strenuosquè milites sic alere Messanam, vt ad hanc vnam oppugnandam, non expugnãdam, & Carthaginiensium robur, & Syracusarum potentia coaluerit. Satis laconicè dictũ de Messana, satis etiam lucul ẽter additum de Panormo. *Hinc PANORMVM Siciliæ profecti, quæ præcipua Carthaginiensium Ciuitas erat, eam magna vi obsidere aggrediuntur, &c.* vt, qui legunt, hæc aperta oratione fateantur; Nunquam vrbs Syracusæ in Sicilia vniuersa dominata est, nunquam totius Siciliæ principatum obtinuit, nunquam Siculi, ac Siciliẽses omnes eius imperio paruerunt. Lege Diodorum Siculum lib. 12. & 13. Age verò quid Panormus? (quæ est nostræ bipartitæ diuisionis pars altera) Hæc bellicis hisce, alijsq; Siciliensibus inimica tumultibus, in cuius Repub. nullus

Lib. 1. f. 17.

Lib. 1. f. 46

vnquam tyrannus fuit, nunquam interturbata pax est; pacis, ac otij semper sectatrix; bella gerebat, cum res postulabat, masculamq; ciuium virtutem, non propugnacula hostibus obijceret. Cũ

Diod. l. 13. .n. ad Panormum vrbem Hermocrates primum, deinde verò Dionysius ad eiusdem agros ferro, flammisquè vastandos conuolassent, non suis illa se mænibus circumclusit, sed inimicis obuiam ita processit, vt signa contulerit, hostes inuaserit, ac sanguinolentum ea luce prælium secundo marte commiserit. Itaque ad eam vsquè diem in Sicilia vnicum caput, ac vnicum imperium non fuit; licet fuerit Panormus Vrbium Carthaginiensium caput id temporis, & suis vallata propugnaculis, & maris vtrinquè circumclusa fluctibus, Vrbs ferè omnium munitissima & diceretur, & haberetur. Hinc *Panormum*, ait Polybius iam supra laudatus, *Siciliæ profecti* (videlicet Romani, quam vnam vt potè potentiorem maximè pertimescebant) *quæ præcipua Carthaginiensium Ciuitas erat, magna vi obsidere aggrediuntur.* Clarane hæc Amice? concludunt, necne? rem ita planè subijciunt oculis, vt certè nemo sit, qui dubitet, quin Vrbs Syracusana anteactis sæculis græcarum dumtaxat Vrbium, Carthaginiensium verò Panormus extiterit caput, atquè Metropolis.

Sed illud, quod de Syracusis exponit Diodorus, cum suum pondus, suamq; vim sortiatur, silentio prætereundum non videtur, quæ cum intra fretũ classem Atheniensium cognouerunt, tres summa potestate Duces creant Hermocratem, Sicanum,

& He-

& Heraclidem, qui conſcriptis militibus per legatos Siciliæ Vrbes ſollicitant, atquè rogant, vt pro communi omnium ſalute arma ſecum capeſſant. Cogunt ne, Amice, Legati, an rogant? rogant quidem. Ergo penes Syracuſanos imperiũ totius Siciliæ non ſtetit. Et in Syracuſanos quidem, qui erant humanitate præſtãtes, & comitate florẽtes, ita mira quadam beneuolentia, ſtudioquè Siciliæ Vrbes rapiebantur, vt quandoquè arma capeſſere pro Syracuſarum vrbe non recuſarint. *Siculorũ equidem Vrbes*, ait Diodorus loco ſupra laudato, *etſi beneuolentia quadam ad Syracuſanorum partes inclinabant, quietem tamen amplexæ, quo tandem belli moles recaſura eſſet, dubijs animis præſtola ãtur.* Subiectorum amicitiã non admittit imperij maieſtas. Illud etiam nullo modo prætermittendum; cur Syracuſanus Hermocrates in ſuam patriã redux ad deuaſtandos Panormi, reliquarumq; Ciuitatum Carthaginienſium fines acceſſit? an quia Panormus, ceteræquè Syracuſis nõ parebant? ita enimuerò. Qui ergo Vrbem Syracuſarum totius Siciliæ Metropolim appellat, falſo quidem hoc ij nomen adſcribit, cum hæc grȩcarum dumtaxat Vrbium optimo quidem iure dici, appellariquè caput ab omnibus poſſit. Hæc vera laus. quæ ſanè

Intaminatis fulget honoribus. *Hor. Od. 11. li. 11. Carm. S r. p. v.*

CONSTANTINI AVGVSTI
Chresto Syracusarum Episcopo
Epistolæ
Non extorta, sed genuina proponitur
explanatio.
Secunda ratio destruitur.

pag. xxvi. xxvij. xxviij.

FAcili negotio sibi persuaserat Amicus hisce recensitis ratiunculis probasse, atq; ob omniũ oculos proposuisse sese, Syracusas vel in profana politia totius Siciliæ Metropolim extitisse. Quod semel proposuit, non deponit, imo & erudite de more prosequitur probando, vel etiam in sacra, vniuersæ Siciliæ antiquitus retulisse primatum, vt optimo quidem iure dicantur a doctis inposterũ, & ab omnibus habeantur Siciliæ Metropolis. Ad id autem apertè probandum ex ditissimo Eusebij Cæsariẽsis, & Cardinalis Baronij thesauro promit Epistolam Chresto syracusarum Episcopo ab Cõstantino Augusto exaratam. Sed Amici, vt dicam, claudicat narratio.

Hist. Eccl. l. x. c. v. Tom. 4. an. 313. pag. 127.

Promamus ergo Epistolæ partem (ne in exscribendo tempus insumatur) in qua Amicus noster non vulgarem vim opinatur esse repositam, ex qua sui propositi ratio & deducitur, & probatur. Itaquè dum sedet Arbiter sapiens, libratis hinc inde rationum momentis, de vtroquè vel qui satius scribat, vel qui rectius cõcludat, haud obscurè sententiam ferat suam. Audiamus ergo Amicũ amicè forte ratiocinantem. Sic habet.

Magnus Imperator Constantinus cum celebrando in causa Cæciliani concilio (quod in Gallijs moraretur) vr-

bem Arelatensem statuisset, accersitis ex vniuerso terrarum orbe Episcopis, è nostra etiam Sicilia aliquos aduocare cum vellet, non ad alium sanè, quam ad Antistitem Syracusanum nomine Chrestum, vti prouinciæ totius principē, literas dedisse cognoscitur: quarum exēplum &c. Hæc Amicus. Vin' Imperatoris Epistolā? En. *Proinde quoniam plurimos Episcopos ex locis diuersis, & prope infinitis in Vrbem Arelatensium ad Kalēd. Augusti conuenire mandauimus; tibi etiam per literas significandum putauimus, vt accepta Rheda publica a clarissimo viro Latroniano Siciliæ conductore duobus item alijs Episcopis ex sede secūda, quos tu ipse tibi maximè diligendos iudicaueris, tibi in societatē ascitis &c. Hæc Imperator.* Verum pace tua, Amice id dixerim: quæ laudas, & ad rem, & rectè; quæ addis de tuo, non rectè ni fallor. Satis calles hisce argumentis occurrisse & Piccolum, occurrisse & Pirrhum. Qui ergo hosce primum non reijcis, non confutas? vt tua argumētandi ratio firmiori innixa fundamēto non labatur? Tibi, vt videre iam videor, satis est scribere, non refellere; sed docta cōfutatio magnā laudem creat, maioremquè arrogat fidem. Sed ne ego etiam Piccoli responsionem tacitus prætereream, non grauabor exscribere, quæ, dū Littaræ viro eruditissimo, doctissimoq; pro Syracusanæ Ecclesiæ primatu disputanti argutè respondet, aperta oratione perscribit: *Iam, inquiunt isti, ait* Albertus, *Si Constantinus alios Episcopos è secunda sede appellat, consentaneum est adstipulari Chrestum Primæ sedis Episcopum fuisse, & proinde Metropolitā, qui suffraganeos suos ad generalem Synodum vocare posset.*

De antiq. iure Eccl. Sic. c. v. pag. 96.

posset. quo item loquendi genere D. Augustinū aliquādo vsum confirmant, cum quemdam Episcopum à Tigesitano primæ sedis Episcopo ordinatum fuisse asserit. & ne à præsenti Ecclesiæ forma exemplum desit. Non alia acceptione, inquit Littara, Toletanæ Ecclesiæ Antistes Primæ sedis Episcopus appellatur.

Verum hæc Constantini Epistola, quæ Littaram in spem vindicādæ primatus dignitatis Syracusanæ Ecclesiæ non omnino temerario ausu erexit, nescio an expectationi par futura sit. Primum quia si ex topicis Iurisconsultorum locis argumentari licet, &, si verborū proprietati hærendum est, multo certius, atque etiam verisimilius consequetur Chrestum secundæ sedis Episcopum fuisse; iubet .n. Imperator, illum duos alios ex secunda sede Episcopos in societatem adscire. atqui, Alius, dictio similium rerum repetitionem importat, quod tū ex Grāmaticorum regulis, tum ex Iurisconsultorum placitis receptissimum est. Chrestus igitur secundæ magis, quam primæ sedis Episcopus fuit.

Adhæc. Quæ ista, obsecro, est argumentandi ratio. Chrestus adsciuit sibi socios duos ex secunda sede Episcopos, ergo Chrestus primæ sedis erat Episcopus. nam si rectè memini, quæ à primis logicæ incunabulis didici, si quando contradictorium consequentis (loquor ex logicorum formulis) veritati antecedentis nihilo repugnat, falsa est, quæ ex antecedenti deducitur consequentia. Inde est, quod ex sapientum placitis reprehenditur ea ratiocinandi forma, Caius est homo, ergo Caius est philosophus. quis .n. non videt, duas hasce propositiones neutiquam inter se pugnare. Caius est homo, & Caius non est philosophus. Atqui non alia est hæc disserēdi ra-

tio,

tio, in qua tantùm sibi Littara perplacet. Chrestus adsciuit sibi socios duos è secũda sede Episcopos, ergo Chrestus erat primæ sedis Episcopus. nihil .n. hæc inuicem refragantur, quod quis secundæ sit, vel tertiæ sedis Episcopus, & tamen Imperatoris præsertim iussu, duos secundæ sedis ad Concilium vocet. alioqui verba rectissimè quis inferret, Seius Ducis sui iussu duos è secunda cohorte milites ad certam rem delegit, ergo Seius erat primæ cohortis miles, quo nihil absurdius dici, aut fingi potest. quid .n. impedit, quo minus secundæ, tertiæ, aut quartæ sit miles? Quid, quod ipsius etiam epistolæ verba, quæ in testimonium proferuntur, indicant, Chrestum vnum fuisse ex plurimis, & prope infinitis Episcopis, qui ad cõcilium cogebantur? sic .n. scribitur: Proinde quãdo plurimos Episcopos ex locis diuersis, & penè infinitis in vrbem Arelatensium ad Kal. Augusti conuenire mandauimus, tibi etiam per literas significandũ putauimus &c. Vnus igitur ex ijs Episcopis erat Chrestus, quos sanè omnes fuisse Metropolitanos nemo prudẽs dixerit. Neq; .n. verisimile est, infinitos propè Metropolitas, vt Constantinus loquitur ad Concilium accitos. Ac præterea Episcopos quoquè inferioris ordinis euocari ad Synodos consueße, vt exempla alia in præsentia omittam satis docere possunt Honorij Imperatoris literæ, quibus Paulinus Nolanus ad Concilium inuitatur, quas ex Vaticano Codice Baronius profert, in quo etiam alias ad alios Antistites contineri scribit. Etsi verò Baronius ducentos fuisse censeat Arelatensis Concilij Patres, scio tamẽ ex Adone longè maiorem numerũ, sexcẽtos videlicet interfuisse. Reliquum igitur est, vt non Metropolitas solum, sed etiã Episcopos, datis ad eos Tractorijs Imperator ad Synodum

ad ann. 419 n. 20.

an. 314. n. 49.

In Chronico ætate 6.

f. 101. *venire iusserit. Hæc Albertus.* Et quidem rectè. Sed rectius ad calcem cap. vj. qui cum varias vel primę ſedis Epiſcopi, vel primæ dũtaxat ſedis notiones afferret in medium (quâ .n. prima ſedes Epiſcopi Metropolitanum, ſeu Archiepiſcopum innuit, qua prima ſedes tantum docet eam inter prouinciæ Eccleſias appellari, cuius ciuitas ſecundum à Metropoli locum habet, & ſecundo ordine in notitia deſcribitur, qua demum arguit Epiſcopum inter prouinciales Epiſcopalis honoris æuo, ſeu ætatis merito, quod planè loci, ſediſuè dignitatẽ non deſignat) poſtremam hanc (ætatem ſcilicet) ſignificationem ſectatus egregiè meo quidem iudicio, eruditequè reſpondet. Vt faciam ſatis Amico, Piccolum fideliter exſcribam: *Gregorius I.* ait

Lib. 1. ep. 72. Indict. ix. tuus, idemq; meus Piccolus, *ad Gennadium Exarchum docet: Concilium vero, inquit, Epiſcoporum admoneri præcipite, vt Primatem non ex ordine loci poſtpoſitis vitæ meritis faciat; quoniam apud Deum non gradus elegantior, ſed vitæ melioris actio comprobatur. Ipſe verò Primas non paſſim, ſicut moris eſt, per villas, ſed in vna iuxta eorum electionem Ciuitate reſideat, quatenus adeptæ dignitatis melioris ingenio reſiſtendi Donatiſtis*

Lib. 1. ep. 75. ind. ix. *poſſibilitas diſponatur.* Et alibi. *Donatiſtas* Epiſcopos *ad Primatus dignitatem promoueri probibet, etiam cum Ordo Clericorum eos ad locum eumdem defert: ſufficere .n. ijs debere commiſſæ plebis tantummodò curam gerere. non autem etiam illos* Antiſtites, *quos Catholica fides in* Eccleſiæ *ſinu & edocuit, & genuit ad obtinẽdum culmen Primatus anteire.* Conſuetum *.n. erat in Africa,*

to. 8. f. 24. *inquit Baronius, vt ille Primas prouinciæ diceretur* Antiſtes, *qui antiquitate ordinationis reliquos antecederet.*

Cum

Cum igitur inter prouinciæ Episcopos quidam reperiretur Episcopus Donatista, ceteris sede antiquior, ipse sibi Primatum veluti iure veteri vindicabat, quod ne vllo modo fieret, sanctus Gregorius intercessit.

Suadet etiam, quod cum in Concilio Viticensi S. Fulgentius Ruspensis Episcopus Quod vult Deo, qui se multo ante Fulgentium Episcopatum iniisse confirmabat, in sedendi, ac subscribendi ordine priorem locum tulisset, idq; grauiter ille ferre visus esset, in Supphetano concilio postea celebrato reconciliandi fratris gratia loco cessit, & vt nomen suum posterius recitaretur, impetrauit. Quam animi facilitatem laudans vitæ scriptor ecce, inquit, B. Fulgentius nec primatum, quem meruit, defendere voluit, quia sine charitate prior esse alicui minimè concupiuit. Et demum. (omitto non pauca lassus in exscribendo, & quidem ad rem omnia, consulat, qui velit Albertũ loco laudato) Leo 1. ad Episcopos prouinciæ Viennẽsis cum scriberet sic ait. *Et quoniam honoranda est semper antiquitas, Fratrem, & Coepiscopum nostrum Leontium probabilem Sacerdotẽ, hac, si vobis placet, dignitate (Primatus) volumus decorari, vt præter eius consensum alicuius Prouinciæ non indicatur à vobis concilium, & a vobis omnibus, quemadmodum vetustas eius, & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuilegij sui dignitate seruata. æquum est .n. nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, si his, qui sacerdotij vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis prouincijs a ceteris sacerdotibus deferatur.*

In vita S. Fulg. 1 cap. xxix.

Ep. 17.

Igitur ex his omnibus, quæ de Primatus notione variè apud Auctores vsurpata, in hunc locum a me seriò congesta sunt, non video quam firmum, quam solidum

argumentum duci ex Constantini Epistola possit, ad adstruendam Syracusanæ Ecclesiæ dignitatem. nam, vt hoc etiam Littaræ condonemus, probari ex Epistolæ verbis, fuisse Chrestum Primæ sedis Episcopum, ea vox, cum varia adeo, & inconstās apud veteres fuerit eius acceptio, vsusq; non video, cur in Chresto pro Primate, aut Metropolitano sumenda sit? Cur non magis illum vel honoris æuo alijs præstitisse, vel vitæ merito primū habuisse locum asseueremus? Hactenus Piccolus. accedat & Piccolo Abbas Pirrhus, qui postquam Chrestū Syracusanum Præsulem fuisse primæ sedis Episcopum suapte sponte clementior concessit, repente subscribit.

In not. 2. Eccl Syrac. f 126 127

Duæ vero sunt, quæ mihi maximoperè placeant eius appellationis causæ, quas subnectam; tertiam verò, quæ alijs forte arrideat, & nomen illud referat in ius metropolicum, quod non titulo tenus, sedre ipsa Syracusanus Antistes in reliquos Siculos Episcopos exerceret, mihi persuadere non possum; ostendi .n. in Messanensi notitia ad ann. 594. num. vij. etiam D. Gregorij tempore neminem in Sicilia fuisse Præsulem, cui vni ob Ecclesiæ dignitatem, ac ius, reliqui subderentur suffraganeorum more. Prima ergo eius nominis ratio, quod Chrestus Primæ sedis Episcopus, seu Primas diceretur, & esse potuit, quod nomine tenus sine vllo iure in ceteros Metropolita, & Archiepiscopus appellaretur; id verò inde ortū est, quod Syracusana Ecclesia D. Petro Apostolorum Principi suum primum Præsulem acceptum referret, vti narrauimus; hinc .n. factum est, vt & ea vrbs, aliæque in ea dignitate similes dici potuerint Metropoles, quod ab ipsis fides in reliquas vrbes excurreret, ac propagaretur;

retur; earumquè vrbium Antistites Metropolitæ, & Archiepiscopi dicerentur. quod iam monui in Panormitana Notitia ad annum Christi 310. ad quam rem Rupertum Abbatem tom. 2. de diuinis officijs c. xxvij. ita loquentem ibi adduxi: Apostolorum successores Patriarchæ sunt dicti; Petri autem successor pro excellētia Principis Apostolorum, Apostolicus nominatur; qui autem ab eis (scilicet Petro, alijsq; Apostolis) per Prouincias missi sunt, tam ipsi, quam successores eorum Archiepiscopi vocantur. quod autem is, qui Metropolitæ esset Primæ sedis Episcopus diceretur aliquando, & Metropolis prima sedes vocaretur extra cōtrouersiam positum existimo. Altera ratio, cur Chrestus dici potuerit primæ sedis Episcopus, seu Primas, quæ etiam sola sufficeret; agnoscit quidē in Chresto ea iura, quæ nunc metropolici sunt muneris, vt concilia indicere, Episcopis alijs aliquid præcipere, atquè eius generis alia; sed ea Chresto conuenisse asserit non ex dignitate Ecclesiæ Syracusanæ, cui præerat, sed ætatis ratione, seu temporis ab inito Episcopatu elapsi. Et postquā Pirrhus ad hanc sententiā ex Alberto Piccolo deprōptam fortè responsionē confirmādam non pauca eruditè congeßit alicuius pōderis, ac momenti, sic concludit. *Hæc ergo ratio antiquitatis in Episcopatu, causa meo iudicio fuit, cur Constantinus ad Chrestum perscripserit, eiquè demādauit, vt duos alios Episcopos euocaret, adduceretq; ad Cōciliū, & cur eumdem primæ sedis Episcopum fuisse tantum nō dicat apertißimè; cui rei apprimè cōgruit, quod Chrestus primus in eo Concilio subscribatur, nam vt sæpe dixi in Not. Messanensi certißimum est in ferendorum suffragiorum, & subscriptionum ordine nō Ecclesiarum dignitas,*

 tas,

tas, sed Episcoporum ætas, seu temporis diuturnitas in eo munere spectabatur. Hæc Pirrhus. Vterquè sanè probandus, laudandus vterquè, cum difficultatem non subterfugiat, ac propius mentem Imperatoris attingat.

Verum ad vberiorem doctrinam, & ad veritatē luculentius aperiendam in secunda Messanensis Ecclesiæ notitia Abbas adijcere non omittit, quę demonstrat D. Gregorij tempestate neminem ex Siciliensibus Episcopis extitisse Metropolitam. *Per ea*, sic habet, *D. Gregorij tempora nemo omnium Episcoporum, qui in Sicilia erant, Metropolitanus fuit, sed æquè omnes, & proximè ipsi subdebantur Rom. Pontifici, qui vel per se ipse, vel per eum, cui pro re nata, atquè arbitratu suo negotia demādaret, res omnes solebat administrare, quibus scilicet gerendis Episcoporum opera non satis commodè posset adhiberi. hanc mihi opinionem suadet prima illa D. Gregorij Epistola ad vniuersos Siciliæ Episcopos transmissa, vbi, vt prædecessorum suorum iudicium fuit, vni, eidemquè personæ omnia committenda esse censet. quamobrem Petro Subdiacono vices suas intra prouinciam Siciliæ administrādas tradidisse perscribit, simulquè præcepisse, vt Catinæ, vel Syracusis semel per annos omnes Episcopos cogeret ad concilium: si .n. Metropolitanus tunc in Sicilia fuisset, sub quo vel omnes, vel plures essent Episcopi, haud vnquā Gregorius omnes a Petro subdiacono euocari voluisset; neque a Metropolitano eam cogendi concilij curam, cui ex iuris præscripto incumbit, cum publica honoris iactura ademptam alteri demandasset; imo cum necessarium esse ibi dicat, vt per quempiā Pontificis auctoritas apud*

Ad ann. Christi 524 f. 273.

Epi-

Episcopos repræsentaretur, tantum non apertè affirmat neminem in Sicilia Metropolitanum esse, qui Pontificis summi vicem ceteris Episcopis præsideret. Post Petrum Subdiaconum Maximianus Syracusarum Episcopus vicariam Gregorij in cunctas Ecclesias Siciliæ obijt præfecturam, vt est in Epist.4.l.2.ind.10.nec tamen Maximianus totius Siciliæ Metropolitanus fuit; illas .n. sedis Apostolic. vices non loco, Syracusanæ scilicet Ecclesiæ, sed ipsius Maximiani personæ se tribuere in epistolæ calce dixit Gregorius. Hæc Abbas.

Horum ergo responsionibus, Amice, tuum erat occurrere, tuum confutare, tuum omnino diluere. Tu vero Harpocrati similis ori digitum apponis. Nullus tibi purgãdi datur locus. Quod si reijcere nullo modo tu poteras, Imperatoris epistolã proponere nullo modo tu debebas. Maior certè ex silentio laus. Neq; .n. tanti ponderis hæc est Imperatoris epistola, vt omitti commodè nõ possit; maximè verò cum hi duo eruditissimi viri, qui, ante te nihil hæc fortè cogitantem, nihilquè molientem conscripserunt, ad verum, germanumquè Imperatoris sensum in hac epistola latitantem penetrarunt.

Venio nunc ad narrationẽ, quam de Constantini ex toto terrarum orbe Episcopos euocantis epistola proponit Amicus, qui (Imperator scilicet) *è nostra etiam Sicilia aliquot aduocare cum vellet, non ad alium sanè, quam ad Antistitem Syracusanum nomine Chrestum, vti Prouinciæ totius principem literas dedisse cognoscitur.*

Dic sodes iam mi Amice. Ex quanam te Epistolæ parte, vel ex quibusnam Auctoribus deducis? *(è nostra etiam Sicilia aliquot aduocare cum vellet, non ad alium sanè, quam ad Antistitem Syracusanum vti Prouinciæ totius Principē literas dedisse cognoscitur?* si quis totam Constantini Epistolam noctes verset, ac dies, hoc dicendi genus, aut certè quid simile vsurpatum ab Amico non inueniet.

Sed vndenam tibi constat ad Panormitanum non scripsisse, si Chrestus Syracusanæ tantū prouinciæ, Panormitanus verò Panormitanæ Metropolita?

At inquies non extat hæc ad Panormitanum Epistola. Sed inquam ego vbinam extant & aliæ ad alios Metropolitas Epistolæ? Dicam certè, & dicam verè; Hæc ad Chrestum Epistola, vt potè prima, in tabularijs asseruata perlegitur, eiusdem exempli ceteræ nō leguntur. *Eiusdem .n. argumēti,* inquit Eminentissimus Baronius, quē tu laudas, *etiam ad reliquos Metropolitanos Episcopos datas fuisse putamus.* pag. xxx.

Adhæc. Ita .n. Chrestū ob suam sanctimoniā, singularemq; virtutem vnicè dilexit Imperator, vt hunc maximè eligēdum, euocandum, tantūq; huic honorē, gloriamquè conferendā putauerit.

At hinc Panormitanæ prouinciæ Metropolitano, alijsquè suus amotus est honos, & abrogata dignitas? minimè verò. Et quidem maximè, cum scribendi Imperatoris ratio sit illi par, aut certè non dissimilis frigidam niuem asserenti, albam verò non esse deneganti; neque .n. dum Metro-

poli-

politam vnius Siciliæ prouinciæ partis accersit, alterius Metropolitam negat. Atquè hæc explanatio facile deducitur ex eo, quod cum sic scribat Imperator: *Proinde quoniam plurimos Episcopos ex locis diuersis, & propè infinitis in vrbem Arelatensium ad Kal. Augusti conuenire mandauimus; tibi etiam per literas significandum putauimus, &c.* Non addit illi dictioni, *Tibi etiam*, tibi dumtaxat vni præ ceteris Siciliæ totius Episcopis, sed tibi etiam, ad eius animi in Chrestum affectionem demonstrandam, quæ vel eius sanctitati, ac virtuti, vel eius prudentissimæ senectuti optimo quidem iure debebatur.

Insurgis: Ad Chrestum vti ad Prouinciæ totius Principe literas dedisse cognoscitur Imperator: ex Imperatorijs literis non recta, ex tuo tibi marte perscripta recta deductio; & fortasse etiã falsa, cum ad prouinciæ totius Syracusanæ, non Siciliensis, principem literas exararit.

Ex hactenus dictis habes hoc duplex corollarium: Alterum: In omnes Siciliæ principes vrbes a D. Petro amandatos Præsules suos, vt sanctæ fidei semẽ tamquam herba irrigua succresceret, & Deo Opt. Max. vberrimos in dies fructus afferret: *Petrus Magnus Christi Apostolus*, sic ait Hugo AEtherianus, *in omnibus ferè Ciuitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellados, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispanicæ, & extremitatum (vt Ecclesiastica historia perhibet) Episcopos ordinauit.* *lib. 3. de process. Spiritus Sãcti c. 17.*

Alterum verò: Siciliam fuisse bifariam antiquitus diuisam, eaquè planè diuisio ad multa post sæcula perdurauit. Et quidẽ hæc non ex recẽsitis

histo-

historicorum auctoritatibus modo, sed etiam ex D. Gregorio; qui floruit anno DCIII. post Christum natum, deducitur satis; is .n. cum duobus dumtaxat defensorũ, ac S.R.E. patrimonij Rectorum munus demandasset, demandauit quidem alteri, qui in Panormi, altero verò, qui in Syracusarum luce versetur; itaquè dubium nemini esse potest, quin fuerit Sicilia in Panormitanam, & Syracusanam distributa prouinciam, possetquè vt Antistite suo, sic itidem & suo Metropolita vnaquæquè gloriari. Lege D. Gregorium lib. vij. Epist. Epist. LI. & lib. x. Epist. xxxxix.

His itaquè egregiè constitutis elidam vires argumento, quod fortè, ni fallor, pro tua causa validius afferre potuisses. Electus de Consilio Episcoporum illius prouinciæ dicitur in diplomate Rogerius Syracusanus Antistes, quem Vrbanus ij. Pont. Max. post eiectos, expulsosq; Saracenos anno ab orbe repar. 1093. consecrauit. Is ergo in huiusce noui Episcopi diplomate sic fatur. *Syracusanam itaquè Ecclesiam nouissimè restaurans* (Primus scilicet Siciliæ Comes Rogerius) *venerabilem filium nostrum Rogerium Traginensis* Ecclesiæ *Decanũ consilio Episcoporum illius Prouinciæ Pontificem Syracusanæ elegit Ecclesiæ, nostrisquè obtulit manibus consecrandum. Illius igitur &c.*

Posset hinc tibi subolere dignitas Metropolitica, qui .n. diligentissimè versat Conciliorum volumina, Patrumquè sanctiones euoluit, facilè aduertet fieri consuetam de consilio Episcoporum suæ prouinciæ Metropolitani electionem. Si hoc certè

certè aduertisses, non omisisses, opinor, tanti machinam argumenti. Sed ne fortè eius arripiendi cupido te inuadat, iam illud funditus deijcio. Primum .n. prudens Comes potuit in re Ecclesiastica ad consilium Episcopos adhibere. Præterea si tibi dē meapte sponte, ex ijs verbis concludi fuisse Metropolitam, vides facilè me ea verba (*Illius Prouinciæ*) interpretari posse illius prouinciæ Syracusanæ. Nequè planè conficta esset interpretatio; nec enim de Sicilia vniuersa ea verba verè poterant vsurpari, cum legamus tunc Panormitanæ Ecclesiæ suum præsedisse Metropolitam Alcherium; de quo quidem Alcherio, Gregorij septimi diplomate cōstat satis hunc in Archiepiscopali, ac Metropolica dignitate anno ab orbe redempto 1083. confirmatum. Summatim pontificij diplomatis verba libemus.

Gregorius seruus seruorum Dei. Dilecto in Christo Fratri Alcherio Panormitano Archiepiscopo salutem, &c. Quamobrem Reuerendiss. Frater Alcheri Panormitanā Ecclesiam, cui tu Domino auctore præesse dignosceris, quæ quondam nobilis, & famosa, postmodum peccatis exigentibus in Sarracenorū potestatem, perfidiāq; redacta, nunc reuera ad Christianam fidem labore, vel instantia filij nostri gloriosi Ducis Roberti Domino innuente conuersa est, te postulante, priuilegio Apostolicæ liberalitatis fulciri. Nos tam iustæ petitionis intuitu, quam etiam præfati Ducis amore, quoniam id scimus optare, cupere, gratanter concedimus, tribuimus, atq; largimur. Apostolica igitur auctoritate confirmamus eidem Ecclesiæ, & per eam tibi quidquid dignitatis, & antiqui-

tatis tenuisse probatur. Itē omnes eius suffraganeos Episcopatus, vel si qui, destructis illis, in eorum loco statuti sunt, vel opitulante Domino statuentur, &c. Hæc Pontifex. Si ergo Panormitana Ecclesia Antistitis sui Metropolitæ lætabatur aspectu, cum idem perinde sit, vt tum ex cap. Nulli dist. 99. tū ex Hostiēsi probat Cardinalis Iacobatius, Archiepiscopus, ac Metropolitanus; nemo quidem prudens erit, qui asseueret ab Panormitanæ prouinciæ Episcopis pro eligendo Antistite Rogerium Comitem exoratum, cum Pōtifex Panormitanus Alcherius in Rogerij Syracusani Episcopi consecratione iā viueret, ac CIↃCIX. in cælestes illas oras emigrauit. Dicendū igitur est & iure Syracusanæ prouinciæ Præsules apud Comitē Rogerium acriter institisse, ac Rogerium Traginensis Ecclesiæ Decanum sanctitate florentem precibus obtinuisse, ne diutius Syracusanam prouinciam suo priuatam Pontifice collacrumarent. Habes itaquè Syracusanum Præsulem suæ prouinciæ in Sicilia Metropolitam, habes & præcipuæ suæ sedis Episcopum extitisse. Hæc vera, germanaquè & Ecclesiæ, & Reip. Syracusanæ dignitas, & amplitudo, nequè .n. honor ij defertur, Amice, si falsa affingamus, sed si vera dixisse probemus.

De Cōsil. l. 1. n. 265.

Tertia Ratio
Tota veritate perpenditur, arguitur.

pag. xxxi. SEcundis hactenus ventis è difficultatibus tamquam è scrupulosis cotibus nostra enauigauit

ora-

oratio. Nunc incidit in ſcopulos, & Acroceraunia. In tempeſtatem verſa trãquillitas, in noctem lux, ſol in tenebras. Offuſa oculis caligo. Quo dirigendus mihi ſit curſus, niſi Elice affulgeat, & Cynoſura, haud ſatis ſcio, vereorquè ne patiar infame, luctuoſumquè naufragium. Sed quodnam lumen aut ſplendidius, aut perfectius obijci oculis poteſt meis, quam veritatis iubar noctem omnem difficultatum vel diſijcientis, vel effugantis? Amicus ergo armatus in campum dat ſeſe, putatquè hoc vnico argumento quaſi præualido telo ſeſe in Cõciliorum auctoritate deliteſcentem victoriam relaturum, ac omnem diremptarum litem. *Siciliam,* ſic ſcribit Amicus, *ad Romanam Diœceſim primum ſpectaſſe, quo Romanus Pontifex Patriarcha eſt Occidentis, clariſſimè conſtat.* probat hanc quæ probatione non eget, vnius Pirrhi auctoritate propoſitionem rectè. Poſt paulò ſubdit & aliã: *Deinde Sicilienſes Eccleſias a Diœceſi Romana abſciſſas Cõſtantinopolitanæ fuiſſe adiunctas ſatis vulgatũ eſt. Quo verò id tẽpore factum ſit, nemo, quẽ viderim, declarauit. Quantum poſſum ex diuturna Hiſtoriarum lectione comprehendere, non multo ante celebratam vij. Synodum, quæ fuit ſecunda Nicæna, habitaquè eſt anno DCCLXXXVII. in qua id contigiſſe conijcio.* Sic demum concludit ad rem. *At verò in vij. Synodo generali ſecunda Nicæna, Epiſcopos Siciliæ omnes adfuiſſe comperio: verum ea tota perlecta non alios interueniſſe Præſules video, quam qui Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſubeſſent: quod argumento eſt ſub ijſdem temporibus Siciliam Conſtantinopolitanæ ſedis membrum effectum.* pag. xxxi.

Quas verò illa sibi prouincias, seu Metropoles Romano throno auulsas adsciuerit, operæpretium hic est tradere. Id ex dispositione Ecclesiarum *Patriarchæ Constantinopolitano subiectarum a Leone Imperatore instituta, apud Leonclauium facilè est dignoscere, vbi post alios numeratos LVII. Metropolitas, eisquè adscriptos suffraganeos* Episcopos, *hic subditur titulus.*

pag. 101.

Auulsi a Diœcesi Romana, iamquè Throno Constantinopolitano subiecti Metropolitani, & qui subsunt eis Episcopi, *sunt hi. 1. Thessalonicensis. 2. Syracusanus. 3. Corinthius. 4. Rhegiensis. 5. Nicopolitanus. 6. Atheniensis. 7. Patrensis.*

Sub Syracusano Siciliæ.

1. Taurominitanus II. Messanẽsis. III. Agrigentinus, IV. Croniensis. V. Lilybæi. VI. Drepani. VII. Panormitanus. VIII. Thermarum. IX. Cephaludij. X. Aletæ. XI. Tyndarii. XII. Melitensis. XIII. Lyparensis. Hæc ex Amico.

Verum vt Amice de tota hac tua argumentatione primum fatear ingenuè id, quod sentio. Illi dumtaxat rei fidẽ habeo, Siciliam scilicet ad Diœcesim spectasse romanam, Ecclesiasquè Siciliæ, si tamen verax est in scribendo Leonclauius tuus, a Romana Diœcesi auulsas. Cetera non constãt. ac plures mihi de ijs insurgunt difficultates, de quibus, nè à veritate videar abhorrere, quamuis non regius Historiographus sic aio.

In septima Synodo generali, secunda Nicæna, ita scribis, Amice, *Episcopos Siciliæ omnes adfuisse comperio.* Consistas hic velim amabo te. Duplicem mihi opinionem ingerit hoc verbũ, *Comperio.* Vel comperis in Leonclauio tuo, quem tu

sæpius,

sæpius laudas, vel in hac septima Synodo tibi diligentissimè perlecta tu comperis.

Si in Leonclauio respondes, non respondes ad rem tu tibi officis, cum tu ipse fateare: *Verum ea tota perlecta non alios interuenisse Præsules video &c.* At esto. Comperisti in Leonclauio: Peto, Leonclauius vbinam comperit? vt isti fidem arroges, asseras est necesse in Synodis comperisse. nam si fortè fortuna dixeris in Catalogo Imperatorum, non rectè dixeris, qui cum iurisdictionẽ de disponendis Ecclesijs, atq; constituendis Metropolitis nullam habeant, si quam vsurparunt, præterquam quod ipso iure ab Ecclesiæ societate dirempti, quod factum infectum omnino censetur. Dicendum ergo est & te, & Leõclauium tuum in Synodo lectitasse, ne te a proposito diuertentẽ videant literatorum hominum Academiæ. Itane est. Ita. miror sane. Hisce oculis, hisce, inquã, oculis egometipse legi in Bibliotheca Illustriss. D. D. Ioannis Torresilla Apostolici in Sicilia Quæsitoris viri integerrimi, itidemq; doctissimi totam septimam Synodum, quæ est secunda Nicæna. Quæ asseris non inuenio. Ea septem continet actiones. Qui conuenerint, Episcopos subscribam.

Tom. v. Cõcil. græc. lat. opera, & studio R. D. Seuerini Bini.

Actione I.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Cõstantinus Leontinæ, Theodorus Taurianæ, Constantinus Cannæ, seu Carinæ, Theophanes Lilybæi, Stephanus Syracusarũ.

Actione II.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, *Gau-*

Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianæ, Constantinus Carinæ.

Actione III.

Theodorus Episcopus *Catinæ, Ioannes Tauromeniæ.*

Actione IV.

Theodorus Episcopus *Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianæ, Basilius Liparitensium, Constantinus Carinæ, Theophanes Lilybæi.*

Actione V.

Theodorus Episcopus *Catinæ.*

Actione VI.

Omnes desiderati sunt Sicilienses Episcopi.

Actione VII.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Basilius Liparitensium, Theodorus Taurianæ, Constantinus Carinæ, Theophanes Lilybæi; Qui verò hac eadem actione sese dogmatibus subscripserũt, hi sunt.

Theodorus indignus Episcopus Catinæ,
Ioannes indignus Episcopus *Tauromeniæ,*
Galato indignus Presbyter, & Vicarius Stephani Episcopi *Syracusæ,*

Gaudiosus indignus Episcopus *Messanæ,* T*heodorus indignus* Episcopus *Panormi, Constantinus indignus* Episcopus *Leõtinę,* T*heodorus indignus* Episcopus T*aurianæ, Basilius indignus* Episcopus *Liparensium Insulæ, Constantinus indignus* Episcopus *Carinæ,* T*heophanes indignus* Episcopus *Lilybæi.*

Iam vides, Amice, non omnes Siciliæ Episcopos

pos

pos hac Synodo, neq; gradatim, vt scribis, recẽsitos. Erit fortasse in altera vulgata septimæ Synodi editione, quæ tomo vj. Conciliorum reperitur. Videamus. Hæc itidem septem complectitur actiones.

Actione I.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianes, Constantinus Carines, Theophanes Lilybæi, Stephanus Syracusæ.

Actione II.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinę, Theodorus Taurianes.

Actione III.

Theodorus Episcopus Catinę, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanę, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinę, Theodorus Taurianes.

Actione IV.

Theodorus Episcopus Catinę, Ioannes Tauromenię, Basilius Liparensium, Gaudiosus Messanę, Theodorus Panormi, Constãtinus Leõtenę, Theodorus Taurianes.

Actione V.

Omnes Episcopi Siciliæ desiderantur.

Actione VI.

Hæc Canones continet.

Actione VII.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianes, Basilius Carines, Theophanes Lylibæi.

Ecce

Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianæ, Constantinus Carinæ.

Actione III.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ.

Actione IV.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianæ, Basilius Liparitensium, Constantinus Carinæ, Theophanes Lilybæi.

Actione V.

Theodorus Episcopus Catinæ.

Actione VI.

Omnes desiderati sunt Sicilienses Episcopi.

Actione VII.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Basilius Liparitensium, Theodorus Taurianæ, Constantinus Carinæ, Theophanes Lilybæi; Qui verò hac eadem actione sese dogmatibus subscripserũt, hi sunt.

Theodorus indignus Episcopus Catinæ,
Ioannes indignus Episcopus Tauromeniæ,
Galato indignus Presbyter, & Vicarius Stephani Episcopi Syracusæ,

Gaudiosus indignus Episcopus Messanæ, Theodorus indignus Episcopus Panormi, Constantinus indignus Episcopus Leõtinę, Theodorus indignus Episcopus Taurianæ, Basilius indignus Episcopus Liparensium Insulæ, Constantinus indignus Episcopus Carinæ, Theophanes indignus Episcopus Lilybæi.

Iam vides, Amice, non omnes Siciliæ Episcopos

pos hac Synodo, neq; gradatim, vt scribis, recẽsitos. Erit fortasse in altera vulgata septimæ Synodi editione, quæ tomo vj. Conciliorum reperitur. Videamus. Hæc itidem septem complectitur actiones.

Actione I.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianes, Constantinus Carines, Theophanes Lilybæi, Stephanus Syracusæ.

Actione II.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinę, Theodorus Taurianes.

Actione III.

Theodorus Episcopus Catinę, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanę, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinę, Theodorus Taurianes.

Actione IV.

Theodorus Episcopus Catinę, Ioannes Tauromenię, Basilius Liparensium, Gaudiosus Messanę, Theodorus Panormi, Constãtinus Leõtenę, Theodorus Taurianes.

Actione V.

Omnes Episcopi Siciliæ desiderantur.

Actione VI.

Hæc Canones continet.

Actione VII.

Theodorus Episcopus Catinæ, Ioannes Tauromeniæ, Gaudiosus Messanæ, Theodorus Panormi, Constantinus Leontinæ, Theodorus Taurianes, Basilius Carines, Theophanes Lylibæi.

Ecce

Ecce tibi, Amice, qui septimæ Synodo in hac altera editione vulgata Episcopi Sicilienses interfuere. Semper desideratur, vt liquet, Agrigentinus, Drepanitanus, Thermarum, Cephaludij, Tendarij,& Melitensis. In quanam ergo septima Synodo, in quonam libro hosce Episcopos eo tibi ordine percensitos lectitasti? vereor, ne cætera huic innixa fundamẽto prorsus corruant. Sit lector Arbiter, sit & Iudex.

Pergamus porrò. Metropolitam Syracusarum fuisse Episcopum vel asseris, vel opinaris. Assertio tua, ac tua opinio non consistit. Nam si is: cur Metropolitæ nomenclatura non insignitur in Synodis, qua cæteri Metropolitæ, vel in eorum suffecti locum illustrantur: Huiusce rei sic facilis est probatio, vt sit apud cordatos demonstratio.

Actione itaquè prima septimæ Synodi sic legitur. *Nicolaus Monachus, & Abbas Monasterij, quod cognominatur Apri, & Vicarius Metropoleos Tyanensium.*

Sic in secunda.

Leo Presbyter sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos, & locum tenens Metropoleos Sidæ. Nicolaus Hegumenus Apri, & locumtenens Tyanensium Metropoleos. Theophylactus Diaconus, & Exarchus Metropoleos Cariæ locumtenens. Gregorius Presbyter Constantinopoleos Sanctorum Apostolorum, & locumtenens Metropoleos Mocissi.

Sic in tertia. *Theophylactus Deo amabilis Diaconus, & Vicarius Stauropolitensium Metropoleos.*

Hoc ipsum obseruo in sexta Synodos Constã-

tino-

tinopolitana effectum. Actione vxij. tom 6.Cō. pag. 261. mihi.

Theodorus misericordia Dei Episcopus Ephesiorum Metropolis Asianæ Prouinciæ, quem sequuntur sex supra viginti Episcopi Metropolitæ.

Hoc ipsum, ne multus sim & vidi, & legi, & obseruaui in Concilio xv. Toletano: *Iulianus Vrbis Regiæ Metropolitanus Episcopus hæc Canonum statuta subscripsi*, eamdemq; scribēdi rationem quattuor itidem Metropolitæ seruauerunt. pag. 414. mihi.

Si ergo Metropolitani hac a ceteris distinguūtur nota, cur hac etiam Præsul Syracusarum non distinguitur tuus? Fatearis est necesse Syracusanū Antistitem id temporis Siciliæ vniuersæ Metropolitem non fuisse: at ab Imperatoribus constitutus, & ab Pontificibus non approbatus. Quare inter Metropolitas in Synodis meritò non recēsetur.

Ad hæc, Inueterata semper, atquè obsoleta Pontificum consuetudo fuit literas ad Metropolitas exarare, qui ceteros Episcopos suæ ditioni subiectos, quæ Christianæ Reip. commodis, vtilitatiq; seruiebant, edocerent. Vnum, aut alterum testimonium ego proferam ex varijs Pontificum literis depromptum. *Zosimus* Epistola 1. ad Hesychium Archiepiscopum Salonitanum perscripta sic ait ad rem. *Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in tua Prouincia sunt, sed etiam, qui vicinis dilectionis tuæ prouincijs adiunguntur, &c.* Clarumne hoc? istud cla-

L rius.

Lib. 3. Epist. Indi 12. rius? D.Gregorius Episto.26.ad Dominicum Calaritanum Metropolitam hæc habet. *Ea autē, quæ fraternitati tuæ scripsimus, cunctis sub vobis Episcopis innotescite, quia ego illis scribere nolui, ne honorem vestrum viderer imminuere.* Sic Gregorius. Vin'promam & tertium. Iubēs promo. Leo I. Pont. Max. Epist.xix. ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum hoc dicendi genus vsurpat. *Hæc autem, Frater carissime, quæ ad interrogationē dilectionis fraternitatis tuæ respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione geratur, in Metropolitani tui facies notitiam peruenire, vt si qui forte sunt Fratrum, qui de his ante putauerint ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt, instruantur.*

In quonam igitur codice Pontificum perscriptæ literæ perleguntur ad Syracusanum Antistitem, vt is tamquā Metropolita ceteris Siciliæ Episcopis Pontificum iura, legesq; demonstret? Vbinam hi exarati characteres? vbinam hæc exscripta diplomata? nunquid temporum iniuria perierunt? cur non perierunt & cetera? Si quis hæc dixerit, ad Asylum confugit, veritatem effugit. Nihil ergo ad rem nostram clarius.

Sed quæro vlterius abs te, qui ex diuturna historiarum lectione tot quidē historias, ac tot eruditiones didicisti, Archiepiscopus esse ne potest suffraganeus alteri, necne? Pontifici si respondes, rectè, sapienterquè respōdes. Isti ergo Patriarchæ Constantinopolitano subijci qui potest? Hic nulla adest Pontificis voluntas, nulla auctoritas. Vt a Romana Diœcesi auulsus inquies. Ergo inuito

Pon-

Pontifice: In quas te tricas conijcis non vides? Auulsus, hoc verbum, iniuriam arguit, non ius. Atque vt hoc ab vnoquoque facilius cognoscatur, sciendum est Græcos id temporis Imperatores tanta in terrarum orbe potentia floruisse, vt in vnum locum vno tubarum sono centena militum millia cooptarint, bella confecerint, hostes expulerint, arma cruentarint, ac victoriam retulerint. Itaque tantũ timoris omnibus incusserũt, vt omnes cum ijs vel signa conferre, vel eorũ cõsilijs occurrere coactis copijs atq; obsistere dubitarent. Ad hæc tanta eorũdẽ erat viuendi licẽtia, tãtaq; audacia, vt Canones contemnerent, Põtifices despicerent, Episcopos deponerẽt, Metropolitas constituerent, & Ecclesiarum iura disponerent. Iam eo etiam tempore Pontifices nullius penè potentiæ, nullarumq; virium cum forent, quamuis iniquo ferrent animo, quæ faciebant ex libidine Imperatores; tamen ne verbum quidem mutire non auderent. Facti ergo insolentes, licet apertè pontificiam iurisdictionem non negarent, vel eamdem ijs imprudenter, ac fortasse impudẽter abrogarent; paulatim tamen ea põtificiæ subiecta ditioni sic vsurpabant, vt quod pleno iure, propriaquè auctoritate non poterant, reipsa facere contra ius, fasq; non verecundarentur. vt iure scripserit in præfatione ad Nicænam Synodum secundam Anastasius: *Imperatores Græci priuilegia sedis Apostolicæ corrumpunt, & penè omnia iura disponendarum Diœcesum auferunt, atq; suis hæc fautoribus, consentaneis, & sectatoribus conferunt, &c.* itidẽq;

iure dixerit flens, ac eiulans Paschalis primus sanctissimus Pontifex. *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate apostolica, sed nutu regio præsumuntur.*

Quæ refert Pirrh. in not. 1. Eccl. Panor. pag. 84.

Mirum itaquè non est, si tot Sicilienses Ecclesiæ, teste Leõclauio tuo, subiectæ prorsus Syracusanæ videantur, (cuius rei ratio infra sole clarior existet) Syracusana vero Constantinopolitanæ, cum hæ, vt patet, Imperatorum potestate ab Romano Pontificis imperio sint penitus auulsæ, atquè distractę. Sint hæ nec ne verè subiectæ, orbis terrarum Academiæ laudum ferant.

Huc accedit, quod Regum, Imperatorumq; iurisdictio nihil habet cum pontificia iurisdictione commune. Profanum, ac sacrum ius inter se cõmuni quodam vinculo non continentur. Ad Imperatores ergo non spectat Antistitem Antistiti subijcere, ac Metropolitam, vel imprudente, vel renuente Pontifice constituere. Quod si id factũ, iure infectum est. Et quidem Canon iij. septimæ Synodi generalis in secunda Nicæna nos docet, quod *omnis electio a Principibus facta* Episcopi, *aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat secundum regulam, quæ dicit. si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur.* Ex hoc canone luculenter hæc infertur cõsecutio: Non potest Episcopus a Principe seligi, ergo nequè potest constitui vel suffraganeus, vel Metropolitanus. Quod si a Principe Metropolitanus quis, imprudente, vt dixi, Pontifice constituatur, Metropolitanus solo nomine censendus. Id perspectum, ac

In tom. v. Concil. pag. 842. mib.

explo-

exploratum fuit Cindasuindo satis; qui *contentionem illam*, vt ait Ioannes Magnus in historia Suetiæ, & Gothiæ, *quæ erat inter Pontifices Hispalensem, & Toletanum de primatu Hispaniarum, per summi Pötificis auctoritatem aboleri procurauit träslata ab Hispali ad Toletum primatus sede, & dignitate.* Eadēq; veritas ex Canone xij. Actione xv. Concilij Chalcedonensis deprompta, ni fallor, est sic grandioribus characteribus asserentis. *Quæcumquè Ciuitates iam literis Imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodo perfruantur.* Lib. 16. c. 20. pa. 525. tom. 2. pag. 130 [illegible]

Atquè vt vnde digressa, eodem nostra terminetur oratio. Auulsi ab Dioecesi Romana Siciliēses Episcopi, & Syracusano Antistiti Imperatorū potestate subiecti Metropolitam hunc nomine, nō re constituunt; atq; id, quod factum, annuente Pontifice cum factum non sit, ipso iure infectum est. Huc accedit dispositio Ecclesiarum Patriarchæ Constantinopolitano subiectarum à Leone Imperatore instituta; hæc .n. dispositio, cum ad Ecclesiasticam pertineat iurisdictionem, ad Imperatorem non spectat. Quare iusta, & legitima non est habenda dispositio.

At inquies ab Imperatore constitutus Metropolita non est Syracusanus Antistes, qui, antequā a Diæcesi Romana auelleretur, hoc Metropolitæ nomine insigniebatur. Nihil conficis Amicè. Si .n. is, antequam ab Romanæ Diœceseos amplexu, gremioquè distraheretur, totius Siciliæ Metropolitæ & nomine, & re habebatur; quidnam illi honoris adiecit Imperator? Nihil planè. Imperatori

.n. Sy-

Syracuſano Antiſtiti non Metropolicam confirmare dignitatem, ſed Antiſtitem vlterius promouere hac Romano Throno vi facta ſecum ipſe cogitabat. Hoc ergo Imperatoris, quiſquis ſit ille, decretum, vel ſuperfluum, vel certè ridiculum omnino iudicandum.

Quod ſi rurſus inſurges non ab Imperatore, ſed a Pontifice Syracuſanum Antiſtitem totius Siciliæ fuiſſe conſtitutum Metropolitam, vltro concedam; modo diploma pontificium ex primæua papyro depromptum proferatur.

Iuuat hoc loco breuiter exponere, cur Syracuſanus Antiſtes in Metropolitem erectus? Et planè græcorum Imperatorum primum in memoriam reuocandus eſt mos, quem in præfatione ſecũdæ Synodi Nicænæ ponit ab oculos hac ſcribẽdi ratione Anaſtaſius; *Græci Imperatores priuilegia ſedis Apoſtolicæ corrumpunt, & penè omnia iura diſponendarum Diœceſum auferunt, atq; ſuis hæc fautoribus, conſentaneis, & ſectatoribus conferunt*: tum itidem & Alexij Comneni lex eſt ita perhibentis: *Vt Imperatori liceat Metropolitanum Thronum Eccleſiæ largiri, & tam* Epiſcopatus, *quam Archiepiſcopatus in* Metropo*lim erigere.* tum ſic. Conſtat ſatis Gregorium cognomento Asbeſtam, Syracuſano iam Epiſcopatu adepto, primum fuiſſe, qui Sicilienſem Eccleſiam Conſtantinopolitano Throno ſubijcere omni ope, ſtudioquè contendit, vt ambitioſæ græcorum Imperatorum voluntati obſecundaret. *Atquè hoc non difficile credet*, ait Piccolus, *quiſquis in Nicæta legerit, iam tum ab Ignatij Cõſtantinopolitani*

to. 1. iuris græc.lat.li. 2. in Nouella Alexij Nouell. 13.

p.1. de antiq. iur. Eccl. ſic. c. 26. pa. 71. Nic. in vita Ign. Patriar.

Pa-

Patriarchæ inauguratione Photium ei occupandæ sedi animum adiecisse, ad eamquè rem Gregorij Syracusani opera, industriaquè vsum: erat, inquit, huius auctor, & initiator in omnibus Gregorius ille cognomento Asbesta, quem Syracusanum olim Pontificem fuisse ferunt; tum vero (inaugurationis ipsius tempore) Constantinopoli de maleficijs rerum factum, & iam Romæ, quod contra leges, & sanctiones Ecclesiasticas peccasset, exauctoratum. Ex *quibus verbis procliuis est coniectura, Gregorium, qui se Romanæ Diœcesi eripere, & in Constãtinopolitani clientelam transire ausus esset, ob imminutã romanæ sedis auctoritatem læsæ veluti maiestatis reum in iudicium Romæ vocatum, damnatumquè. Hæc Piccolus.*

Quæ cum ita sint, si Gregorius Asbesta Imperatorum Asseclam se præbuit, non Pontificum, & primus, vt rem gratam Imperatoribus faceret, ab Pontificum imperio se subtraxit, mirum planè non est, si Græci Imperatores de collato beneficio non ingrati, ad Metropolicam dignitatem eũ euexerint, eiusquè nomen contra ius, ac fas amplificarint.

Quarta Ratio
Exponitur, Reijcitur, Diluitur.

IAm vero (vlterius progreditur, sed regreditur Amicus) *anno DCCLXXVII. & ante Photianas turbationes fere nonagesimo septima generalis Synodus, quæ est secunda Nicæna, celebrata est.* In *ea, vt diximus, Sicilienses Episcopi omnes interfuere. Actione autẽ IV.* pag. xxxv.

IV. *hanc inter ceteras inuenias subscriptionem. Galato exiguus Presbyter, & ex persona Stephani Archiepiscopi Siciliæ lubenter omnia, quæ scripta sunt, suscipiens subscripsi. Enim uero, qui Siciliæ Archiepiscopus dicitur, eumdem Siciliæ Metropolitanum fuisse non est dubitandum. Hæc Amicus.*

Et quidem hæc argumẽtandi ratio nullã creat difficultatẽ, cum satis apertè, dilucideque diluatur. Ex eo igitur, quod scriptum legis, *Galato exiguus Presbyter, & ex ea persona Stephani Archiepiscopi Siciliæ lubenter omnia subscripsi*; hanc consecutionẽ luculentissimè deducis, Stephanum fuisse totius Siciliæ Metropolitam. Hæc Sua non caret difficultate consecutio. Iam simile quidpiam est in sexta Constantinopolitana Synodo sic habente. *Tom. v. act. I. græcolat. pag. xix.* *Theophanius Presbyter, & Abbas venerabilis Monasterij Siciliæ, quod cognominatur Baias.* Si quærerem ex te Amice, Est ne Theophanius Abbas totius Siciliæ? Propositi tenax tui planè confirmares, ne de hoc dignitatis, honorisque gradu Syracusanus deturbaretur Antistes. Sed tua te prorsus fallit opinio. animum aduerte sis. Eiusdem Synodi *pag. 79.* Actione IV. Sic leges. *Theophanius Presbyter, & Abbas venerabilis Monasterij in Sicilia positi, quod cognominatur Baias.* & Act. xi. & xij. *Theophanius presbyter, & Abbas Monasterij, quod cognominatur Baiarum, quod est in Sicilia, vel situm in Sicilia.* Quid habet ergo difficultatis, vel quid certè noui asserere Galatonem id vocabulum, *Siciliæ*, vsurpasse vt celebrius, ac notius, vel, vt rectius loquamur, & aptius, Archiepiscopus Siciliæ idem sonet, ac, qui

est

est in Sicilia? Enimuero nō video, Amice, cur hoc tantum nomine glorieris, cur plenis buccis tantum efferas, tantum celebres, tantū prædices; cum hoc nihil planè facessire negotij videatur.

Ad hæc. Ille Galato, qui se ex persona Stephani Archiepiscopi Siciliæ, qui itidem se Vicarium Stephani Syracusæ Episcopi subscripsit, de Rhegini Episcopi, non de Stephani Syracusani, vicem semper gerente intelligendus. Magnum quid affero. Age vero hanc veritatem demonstremus, vt hæc tua argumentatio, Amice, in vno, eodemq; Galatone sita & labatur, & corruat.

Vulgata editio Septimæ Generalis Synodi Nicænæ secundæ Actione prima sic loquitur. *Theodoro Episcopo Catinæ, Ioanne Episcopo Tauromeniæ, Gaudioso Episcopo Messanæ, Theodoro Episcopo Panormi, Stephano Episcopo Bibonum, Constantino Episcopo Leontinæ, Theodoro Episcopo Taurianes, Christophoro Episcopo Adraces, Theotimo Episcopo Crotonis, Basilio Episcopo Tonnensiorum, Constantino Episcopo Carines, Ioanne Episcopo Trecaleos, Theophilo Episcopo Lilybæi, Theodoro Episcopo Tropheorum, Sergio Episcopo Nicoteron, Galatone Archipresbytero locumtenente Rhegij, Stephano Episcopo Syracusano.* In tom. 6. Cōc. pag. 1.

[a] In Secunda vero, [b] Tertia [c], & Quarta Actione Rhegij loco Presbyter Galato se subscribit. *Galatas Presbyter in locum Rhegij.* At in septima Actione seruatur hic ordo. *Cōstantinus Episcopus Rhegij, Ioānes Monachus ex persona Patrarū, Theodorus indignus Episcopus Catinæ, Ioannes indignus Episcopus Tauromeniæ, Gaudiosus indignus Episcopus Messanæ, Theodorus* pag. 115.

a pag. 23. b pag. 34. c pag. 64.

indignus Episcopus Panormi, Stephanus indignus Episcopus Bibonum, Constantinus indignus Episcopus Leötenæ, Ioannes indignus Episcopus Trocalon, Theodorus indignus Episcopus Taurianes, Christophorus indignus Episcopus Sanctæ Cyriacæ, Basilius indignus Episcopus Carines, Theophanes indignus Episcopus Lilybæi, Theodorus indignus Episcopus Trophæorum, Sergius indignus Episcopus Nicoteron, &c.

Nullus enimuerò inter hosce Rhegini Episcopi vicē gerens Galatho vel inuenitur, vel recēsetur; cū nullus planè, præsente Episcopo, Rhegini Episcopi Vicario daretur locus. Quare tantum abest, vt Nicænæ Synodi græcolatina editio nobis quoquomodo refragetur, ac officiat, vt imò ad vulgatæ fidem sit omnino corrigenda, & vbiquè legi debeat Galatonem non Syracusani, sed Rhegini Episcopi obijsse prouinciam. Nec me vel ipse græcus, & latinus contextus mendacem reddet, qui Actione ij. hac vtitur ratione scribendi: *Galato Presbyter, & ex persona sanctissimi Episcopi Rhegini similiter.*

De antiq iure E. cl. Sic. p 2. c. viij. pag. 107. 108. *Quare facilè crediderim*, vt loquar cum Alberto tuo magni nominis Piccolo, *errorem græcolatinæ editionis inde irrepsisse, quod cum in prima Actione Episcoporum omnium nomina, qui concilio interfuere non recto casu, vel ablatiuo, sed genitiuo efferantur, nimirum Theodori Episcopi Catinæ, Ioannis Episcopi Tauromenitæ, Gaudiosi Episcopi Messanæ &c. ac Galatonis nomē statim subsequeretur inscriptio Stephani Syracusani, facilè duæ, quæ seorsim erant positæ, legati Rhegini, & Syracusani Episcopi inscriptiones in vnam librarij vitio*

coa-

coaluere: ita vt cum legendũ esset: Γαλάτωνος πρεσβυτέρου, καὶ τὸν τόπον ἐπέχοντος τοῦ Ῥηγίου, *hoc est Galatonis Presbyteri & locum tenentis Rhegij, ac mox consequenter legeretur subscriptio Syracusani* Στεφάνου Ἐπισκόπου Συρακουσίων, *scilicet Stephani Episcopi Syracusani, ex duplici subscriptione vna sit facta, Galatonis Presbyteri, & Vicarij Stephani Episcopi Syracusani, quæ coniectandi ratio eo cõfirmatur, quod nullibi præterea fit mentio Constantini Rhegini Episcopi veluti præsentis, præterquã in septima Actione, in qua tunc demũ Nicæam adueniente Constantino suffragiũ tulisse eum legimus. Neque impedit, quod latina versio Anastasij iv. Actione ita legat: Galata exiguus Presbyter, & ex persona Stephani Archiepiscopi Siciliæ. Etsi enim Anastasius ita verterit, græcus codex propriũ nomen eius, qui dicitur Archiepiscopus fuisse, nõ habet, quod fortasse Anastasius ex fide græcæ editionis iv. Actione, ita commodè restitui posse existimauit; cum alioqui ex prædictis constet Galatonẽ legatum egisse, non quidem Stephani Episcopi Syracusani, sed Cõstantini Rhegini. Quod verò hunc Archiepiscopũ Siciliæ tum græcus textus, tum Anastasius appellent, non multi momenti est: frequentissimè .n. veteres etiam scriptores pro Calabria Siciliam vsurparunt, vt ex Strabone Philippus Cluuerius, & Paulus Merula docet. Hæc Piccolus.* Hinc, Amice, intelligas licet Galatonem semper Episcopi Rhegini, nunquam Syracusani vicem gessisse. Quod si velis Galatonem Episcopi Syracusani fuisse Vicariũ, hũc dicas necesse est ab illo Rhegini fuisse diuersum, itaque duplex admittẽdus est Galato, Syracusani alter, alter verò Rhegini Episcopi. Et patet enucleatius. Illa .n. sub-

Initio lib. 6. lib. 1. sic. illust. c. 6. in Ital. descriptione.

M 2 scrip-

ſcriptio, qua tu mirum quantum gloriaris, exarata in Actione jv. Septimi Concilij Generalis.

Galato exiguus Presbyter, & ex perſona Stephani Archepiſcopi Siciliæ lubenter omnia, quæ præſcripta ſunt, ſuſcipiens ſubſcripſi.

Non ita prorſus, vt exſcribis, inuenitur; nam ſi anni MDCXXXVIII. græcolatina ſpectetur editio, quod rectè aduertit Piccolus, aduertit & Pirrhus, in Actione jv. ita in græco Codice ſubſcribitur Galato. Γαλάτων ἐλάχιστος πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Σικελίας ἀσμένως πάντα τὰ προγεγραμμένα δεξάμενος ὑπέγραψα hoc eſt Galato exiguus Presbyter ex perſona Archiepiſcopi Siciliæ. Non ergo hæc tibi ſtatim inferenda conſecutio, vbi Actione vij. eiuſdem Synodi hæc comperta, tibiquè allata ſubſcriptio; Ergo Stephanus eſt Archiepiſcopus Siciliæ, cum Stephani nomen in prima ſubſcriptione non ſit. quod ſi adſit in latino Codice, additum, vt patet, a latino Interprete de ſuo. Non inquam, illa tibi ſtatim inferenda conſecutio, Stephanus eſt Archiepiſcopus Siciliæ, cum hæc rectè illata non ſit. Et liquet. nã Actione prima Septimæ Synodi Generalis ſecundæ Nicænæ poſt Epiſcoporum nomina ſic leges: *Theophane Epiſcopo Lilybæi, Theodoro Epiſcopo Tropæorum, Sergio Epiſcopo Nicotorenſium, Galatone Presbytero, & locum retinente.* hic adiectum eſt punctum. & ad oram appoſitus Aſteriſcus. Chriſtophori, cuius loco nomen Conſtantini reponi deberet. ac ſtatim ſubijcitur. *Stephani Epiſcopi Syracuſæ*. Quare qui punctum illud ex negligentia librarius expun-

De antiqu. iure Eccl. Sic. c. 8. p. 2. pag. 107. 108. Pirr. in Syr. Eccl. Notit. pag. 139.

In tom. 2. cõil. pag. 519.

pun-

punxit), occasionem obtulit legendi: *Galatone LOCVM RETINENTE Stephani Episcopi Syracusæ*, cum verum reapse sit Galatonem locũ retinuisse non Stephani, sed Constantini Episcopi Rhegini. Itaquè si hoc aduertisses in Synodis, nõ hanc certè consecutionem intulisses, cum rationi cõsentanea oboriatur difficultas, de quonam Archiepiscopo Actione iv. in qua legitur *Galato exiguus Presbiter ex persona Archiepiscopi Siciliæ* sermo habeatur. Mihi rectius dicẽdum cum Piccolo videtur hũc Archiepiscopum fuisse Rheginũ (cum Calabria dicatur etiam Sicilia, & vtriusquè Siciliæ Hisp. Rex trita, vulgataquè nomenclatura nũcupatur) cuius vicem semper gessit Galato.

Ceterum quod hoc Archiepiscopi nomen in Syracusanum Episcopum nõ cadat, inde liquet. *Si quod .n.* (loquor cum Pirrho, & quidem rectè) *Metropolicum ius in Syracusano Præsule fuisset ante Sarracenicã Siciliæ vastationem, futurum fuisse credamus, vt, eiectis Sarracenis, illi redderetur Ecclesiæ. Sanè* Gregorius *vij. postquam Panormus, atquè vniuersa Sicilia seruitutis iugum excussit, ita allocutus est Alcherium Panormitanæ Ecclesiæ Antistitẽ. Apostolica auctoritate confirmamus eidem* Ecclesiæ *(Panormitanæ) & per eam tibi quidquid dignitatis, & antiquitatis tenuisse probatur, idest, omnes eius suffraganeos Episcopatus, vel si qui, destructis illis, in eorum loco statuti sunt, vel opitulante Domino statuentur, vt in præfatæ tuæ Ecclesiæ redeant potestatem.*

Integrũ diploma habes in Panorm. Not. ad an. 1083 pag. 100. apud Pirr.

Vides hic certos nõ subdi Episcopatus Panormitano Archiepiscopo, quia incompertum erat

adhuc

adhuc Pontifici, quinam ante trecentos ferè annos suffraganei fuissent, confirmat tamen Pontifex ius Metropolicum, de quo apertè constabat, facultatemq; facit, vt suos olim subditos sibi vindicet Panormitanus. At si Syracusanus Antistes id ius Metropolicum in aliquos saltem Episcopos habuisset; cur Vrbanus ij. huiusce Metropolici iuris ne meminit quidem? ecce tibi diploma.

Vrbanus Episcopus, &c. Dilecto Fratri Rogerio Syracusanæ Ciuitatis Episcopo, eiusq; successoribus &c. Syracusanam Ecclesiam nouissimè restaurans venerabilem filium nostrum Rogerium Traginensis Ecclesiæ Decanũ, consilio Episcoporum illius Prouinciæ Pontificem Syracusanæ elegit Ecclesiæ, nostrisq; obtulit manibus consecrandum. Illius igitur piæ deuotionis affectum sacerdotali studio prosequentes, eiusq; iustis petitionibus annuẽtes, Syracusanã Ecclesiam, cui Deo auctore Rogeri Frater in Christo venerabilis præsides, tibi, tuisq; successoribus regendam, disponendam, & largiẽte Domino propagandam præsentis priuilegij auctoritate concedimus, & confirmamus.

Suntne in hoc pontificio diplomate ab Vrbano Pontifice vel recensiti, vel constituti suffraganei? Estne quod ius Metropolicũ in Siciliæ Episcopos confirmatum? Verum hoc me loco Amice continere non possum, quin te amicè conueniam, quodq; animo penitus inhæret meo, ad aures obganniam tuas. Tecum ergo secreto hoc habe. Nihil in tua dissertatione scriptum est, quod non sit exscriptũ tum ex Piccolo, tum ex Pirrho, ab ijsdemq; suis ponderibus non examinatum, nõ li-

libratum. Nihil tibi vel ex Synodis generalibus, vel ex Pōtificum, Imperatorumq; literis laudatū, quod ante te tum Piccolus, tum Pirrhus non laudauerint, non exscripserint, non explicauerint. Nihil demum ex historicis profers in mediū, quod eruditissimè & Piccolus, & Pirrhus non proposuerint, non exposuerint, non reijecerint, non oblitterauerint. Mihi persuadere non possum te hosce Auctores non vidisse, non legisse. De Pirrho, quē sæpe laudas, ac sæpe dilaudas, non est, cur dubitē. De Piccolo, qui planè, quod typis excussit, tecū, vt autumas, communicauit, nemo prudēs est, qui ambigat. Ergo si vtrumq; minimè destitisti

Nocturna versare manu, versare diurna

tibi hæc imminet lex, & responsiones vtriusq; reijcere, & interpretationes labefactare, & auctoritates infringere, tuam vero opinionē & rationibus, & auctoritatibus confirmare. Verum hoc nulla hactenus ratione factitatum. *Quid ergo prodest*, vt loquar Amice cum Tiraquello, *ex libris libros facere*; cum quidquid in tua dissertatione exaratum, nihil additum de tuo, nihil nouum. Quod si quid de tuo est, ita paruum, itaq; planè exiguum est, vt pænè mētis aciem subterfugiat, & quasi nihil esse videatur.

Quinta Ratio
Veritati omnino dissona
Proponitur, expenditur, exploditur.

Anè Gregorium ipsum Asbestam, Sic Amicus, *ante sui depositionem, & Photij schisma Siciliæ Metropolitanum fuisse vel ex eo intelligimus, quod Ecclesiæ Syra-* *pag. xxxix*

ra-

racusanæ suffectus ea de causa Theodorus, dum a Pontifice Nicolao cum alijs ab Ignatio stantibus ad Photianam audaciam reprimendam venturus Romam designatur, inter quattuor alios Metropolitas quarto loco positus est. Mittantur etiam inquit Pontifex, de parte Ignatij, Archiepiscopi quidam, Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum, Metrophanes Smyrnæ, & Paulus Episcopus Ponti Heracliæ &c. Hæc Amicus.

De Gregorio Asbesta iam dictũ satis, qui licet in ea Octaui Concilij Constantinopolitani parte huiuscemodi inscripta, *Quæ Sanctam, & OEcumenicam Constantinopolitanam Synodum Octauam præcedunt*, semel quondam Archiepiscopus proclametur, in toto tamen Octauo Constantinopolitano Concilio vel dudum Episcopus, vel Gregorius appellatur, atq; semper sub hoc duplici nomine ab Ecclesiæ societate dirimitur. Cur Archiepiscopus sit dictus, iam supra ratio ex eademmet Synodo huiusce nuncupationis adiecta.

Satis de Stephano, cui successit Asbesta, qui ex suo Galatone Syracusarũ celebratur Episcopus.

Satis & de Theodoro Gregorij successore, qui licet ab Pontifice Nicolao I. Syracusanorũ dicatur Archiepiscopus, ea tamẽ, vt liquet, non loco, sed personæ collata dignitas, & amplitudo.

Restat modo, vt quæ in ratione quinta proponit Amicus, breuissimè, enucleatequè perpendamus, ac si possumus, explodamus.

Et quidem, vt opinor, Pontificis animus, ac voluntas non fuit Metropolitanos dumtaxat accer-

sire

sire ad Photij audaciam infringendam, sed euocare quamplures, & quidem promiscuè, & Metropolitas, & Episcopos, & Monachos, qui tum spectatæ virtutis viri, tum literarum laude præstãtes ab vnoquoq; haberẽtur. Euocauit autẽ & Theodorũ Syracusanorũ recens Episcopũ vel ea ratione, vt Ecclesiæ Syracusanæ dignitatis iacturã resarciret, quam in suo schismatico Gregorio nuper amiserat, atq; is etiam inter ceteros contra Photiũ, & Asbestam ferret omniũ gratulatione suffragium; quæq; Ecclesia, quæ sub Gregorio schismatico habebatur, dicto Pontificis audiens sub Theodoro videretur.

At esto inter Metropolitanos sit Theodorus accersitus, (suæ.n. Metropolitanæ Ecclesiæ prædecessoris causa cũ agitaretur, iure fuit is vnus ex suę prouinciæ Episcopis euocãdus) nõ alia vtar, quã vel ipsius Põtificis oratione dicẽtis, *Theodorus Syracusanorũ*, scil. Archiepiscopus, ac Metropolita Syracusanorũ. Neq;.n. dixit Põtifex, *Mittãtur etiam de parte Ignatij, Archiepiscopi quidã Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Cõstantinus Larissæ, Theodorus* Syracusanus totius Sicilię Archiepiscopus, sed protulit dũtaxat, *Theodorus Syracusanorũ*; cũ id tẽporis Panormus Archiepiscopo, ac Metropolita nõ careret suo. Nã certum est Theodorũ huiusce nominis secundũ, deposito iam Gregorio Asbesta ad regẽdam Syracusanã Ecclesiam fuisse ab Sanctiss. Patriarcha Cõstantinopoleos Ignatio cõstitutũ, quẽ Nicolaus Põtifex I. Archiepiscopũ Syracusanorũ vocat anno à Virginis partu DCCCLXVI. crea-

tum. certũ itidem est Paschalẽ primum ad Panormitanũ Archiepiscopũ scripsisse Epistolã anno ab orbe repar. DCCC XIX. qui prior illo trigesimus quintus est; & ab Capit. significasti de electione, & ab Antonio Augustino in antiquis collect. Decretal. cap. xxi. integrè laudatã. Sic exorditur, *Paschalis Palarmitano Archiepiscopo. Significasti, Frater carissime, Regẽ, & Regni maiores admiratione permotos, quod palliũ tibi ab Apocrisiarijs* (hoc est a Secretarijs, vel Thesaurarijs, vel Legatis) *nostris tali conditione oblatum: si sacramentũ, quod à nobis scriptũ detulerãt, iurares. In Pallio Frater plenitudo cõceditur pontificalis officij, quia iuxta sedis apostolicæ, & totius Europæ cõsuetudinẽ ante acceptum palliũ Metropolitanis minimè licet aut Episcopos consecrare, aut Synodũ celebrare, &c.*

Ex hoc itaquè Pontificis priuilegio si quis ita proponeret argumentum: est Syracusis suus Archiepiscopus, ac Metropolita; est itidẽ & Panormi suus Archiepiscopus, ac Metropolita. Quisnã ex hisce dicendus totius Siciliæ Metropolitanus? Nõne rectè proponeret? Hic me cõprimo. Qui legunt sententiã ferãt. Ego vt vnicuiq; tribuã, quod suum est, Archiepiscopum Syracusanum Syracusanæ prouinciæ Metropolitam, Panormitanum verò panormitanæ nuncupandum.

Ad hæc. potiori ratione dicẽdus totius Siciliæ Metropolita Panormitanus, quam Syracusanus Antistes; de Syracusano .n. sub Iudice lis est, de panormitano nullũ iure certamen vnquã obortum; nã & a Sũmis Pontificibus ante Sarracenicã tempestatẽ in Panormitanum Archiepiscopum

pallij

pallij beneficiũ con fertur, eidēq; illum iā ſedata, & Archiepiſcopi nomē, & ſuffraganeorũ Epiſcoporum ius optimo quidē iure cõfirmantur? Quod de Syracuſano Præſule non cõpertum eſt hactenus. Hæc ſcripſi, non vt iniuriā Syracuſanæ vrbi mihi vnicè dilectæ volens, lubenſq; cõflare, ſed vt impetum animi tui, Amice, in hoc Archiepiſcopi nomine tamquā in ingenti, immenſoquè campo exultantis comprimerem, ac retardarem.

Reliquũ eſt, vt videamus, num Gregorius Asbeſta ante ſui depoſitionē, & Photij ſchiſma, quod eſt totius cardo difficultatis, vniuerſæ fuerit Siciliæ Metropolitanus.

Et quidem, Amice, præcipuũ hoc, ac ſingulare probandũ tibi, hoc demonſtrandũ; nam aſſerere Eccleſiam Syracuſanā D. Martiani aduentu fuiſſe Archiepiſcopalē, ad quā adminiſtrandam poſt plura ſæcula Gregorius acceſſit, parũ refert; nā, vt initio diximus, ea Eccleſia cũ pleriſq; alijs Siciliȩ Eccleſijs in eo dignitatis gradu ab Romanis Pontificibus ſeruata nõ fuit. Itaq; ea eſt huiuſce loci, & quidē haud vulgaris difficultas Gregoriũ ſcil. Asbeſtā, antequā vel ex ſuæ dignitatis gradu moueretur, vel antequā *Photius Conſtantinopolitanā ſedem*, vt loquar cum Synodis, *latronũ more inuaderet* fuiſſe Metropolitam. ſed hoc Amicus innuit, non probat.

Meum igitur eſt breuiter oſtendere, ac paucis exponere Gregoriũ ante ſui depoſitionē, & Photij ſchiſma Archiepiſcopali dignitate inſignitum non fuiſſe. Memoria itaq; repetendum, quod ſu-

pra innuimus, Gregoriũ Asbestã neq; a Benedicto III. neq; a Nicolao I. neq; ab Adriano II. summis R.E. Põtificibus creatum Archiepiscopũ, sed ab hisce semper vt Episcopũ ab Ecclesiæ societate segregatum. Quod siquis ex hisce Pontificibus hac dignitate Gregoriũ decorasset, esset profecto qua in Synodis mẽtio, esset & in Cæsare Baronio, qui planè cũ nauus sit, ac diligẽs historicus, quęq; sub Pontificibus, Benedicto, Nicolao, & Adriano sunt gesta, recẽseat, de Gregorio nõ tacuisset. Certũ ergo est Gregoriũ, antequã ab Synodis exauctoraretur, in Archiepiscopi gradu non fuisse collocatum.

Hinc consectariũ est, quod post Photii schisma Gregorius fuerit proclamatus Antistes. Et quidẽ nemo est, qui dubitet, quin veteri consuetudine, quæ ad summã beneuolentiã peruenit, adductus vnus dũtaxat Gregorius Syracusanus Episcopus, Sanctiss. iam Patriarcha Ignatio per summũ scelus ab Constãtinopolitana sede deiecto, qui Photiũ consecrare, atq; in Cõstantinopolitanã sedem cõtra Canones intrudere non formidarit ab eodẽ Photio ad Archiepiscopalẽ dignitatẽ euectus. *Eo fit, vt minus multo mirandũ sit*, ait Piccolus, *tantũ hominẽ tam insigniter de Cõstantinopolitana sede meritũ, siuè ob tentatã in Romanũ Põtificem rebellionem, siue ob nauatã Photio operam repẽdendæ gratiæ Archiepiscopali, & mox Metropolica dignitate fuisse exornatũ.* Nec mirum planè, Photius .n. eos tantũ, vt rectè Nicætas aduertit, gloriæ insignibus exornare, beneficijs afficere, atq; ad Ecclesiasticos honorũ gradus ef-

De antiqi iure Eccl. sic. cap. 26. pag. 72.

In vita Ignat. Patr.

fer-

ferre profitebatur, qui eum vel vnicè dilexerãt, vel laudibus extulerant, vel beneficijs amplificarant. Quare cũ de Photio sic sese habente sermonẽ Nicætas haberet hæc ait ad rẽ. *Ipse verò*, Photius scilicet, *contra sanctũ virum odiũ alebat, & quotquot ex eius germanis, seu spurijs sectatoribus poterat, furtim ad se trahebat, dignitatibusq; vesaniæ suæ illiciebat, per quos innocentis calcaneo insidiabatur.* Et planè non dubitandũ, quin Gregorius Asbesta primus Photij sectator, seu, vt satius dicã, princeps Photij fautor extiterit, atq; hunc è laico ad Patriarchalẽ dignitatẽ reclamante Pontifice solus euexerit. *Erat*, inquit Nicætas, *huius*, nimirũ Photij, *auctor, & initiator in omnibus Gregorius ille cognomento Asbesta, quem Syracusanũ olim Pontificẽ fuisse ferunt.* Si ergo is in Photiũ Gregorius fuit, quisnã fortè ambigat, quin Gregorium Asbestam Archiepiscopali honore Photius illustrarit, quem ipse cũ contra Canones tenere non erubuisset, tamquam vsurpatæ iurisdictionis Archiepiscopus ab Cõstantinopolitanæ Synodi Patribus fuit ab Romanæ Ecclesiæ gremio auulsus, atquè distractus. Nequè ad id probãdum desiderãtur exẽpla. Nonne, scribit Nicætas, Theodorus quidã à Caria ad Laodicẽsem Metropolim translatus a Photio? Nõne Samuel Chonarum Antistes, qui ad illũ diẽ Laodiceno subiectus fuerat, Archiepiscopi honore sublatus à Photio? Nonne Ignatius Cœnobitarum Archimãdrita S. Ignatij desertor Hierapoleos Metropolita cõstitutus à Photio? Nonnè demum Theodorus quoq; Santabarenus, vt gratiã redderet benè de se meri-

In vitã Ign. Patr.

In vita Ign. Patr. Baron. anno 859. nu. 68.

to homini, cum nulla tũ fortasse vacaret ad manũ sedes, Pathmorum Metropolita creatus a Photio? quem proinde facetissimè familiares ἀοικήτου Episcopũ dixere, hoc est Ciuitatis inuisibilis, quæ nusquã esset, nusquã appareret. Haud igitur mirũ, nec rationi videri debet incongruum, si Gregoriũ Asbestã & Archiepiscopali, & fortasse etiã Patriarchali honore dignatus sit Photius, qui cũ aliquot ad hosce honorũ gradus sibi familiaritate deuinctos extulisset, debuit etiam & Gregoriũ efferre; is .n. vt Photiũ in Patriarchalem Cõstantinopoleos sedem intruderet, Photijq; gloriã amplificaret, ab Romano Pontifice volens, lubensq; defecit. Gregorius itaque Asbesta post Photij schisma ab ipso Photio ad Archiepiscopalẽ dignitatẽ euectus, qui cum Thronum hũc cõtra Canones tenuisset, meritò Synodi Patres, meritò Adrianus Pontifex ab Romanæ Ecclesiæ complexu, gremioq; distraxit.

Sexta Ratio.

Proponitur, impugnatur.

pag. 48. A*Tquè vt hoc ipsum postremo,* ait Amicus, *ex Theodosij Monachi epistola ad Leonem Archidiaconum de Syracusarum per Sarracenos expugnatione, quę non multo post Photij schisma contigit (anno videlicet* Annal. to. x. pag. 532 *DCCCLXXVIII. vt tradit Baronius) non minus efficaciter confirmatur. Ille .n. de Syracusano Præsule iam captiuo (Theodorũ eũdem Asbestæ suffectũ crediderim) sermonẽ habens, quẽ per vias Panormi ductũ innumera gens visendi studio cõcurrebat, hæc ait. His auditis iratus Amyras ad carceres nos omnes quam citius adduci ius-*

iussit, & quidem ducebamur per plateã à Lictoribus, plurimis Christianorũ insequentibus, & amare flentibus, & quidem etiã ipsi Sarraceni circũdabant nos, & impellebant, vt viderent quisnã esset celebris Siciliæ Archiepiscopus. Ita quippe legitur in textu græco Codicis M.S. *quem habeo apud me. Iã qui Siciliæ Archiepiscopus, non idẽ Siciliæ Metropolita? Nec vim dicti meo iudicio eneruarunt, qui (vt suspicor) per inuidiã verterunt,* Episcopus. *Quis .n. Siciliæ antonomasticè Episcopus, nisi qui reliquos eiusdem prouinciæ Episcopos dignitate, atquè auctoritate præiret? hactenus* Amicus.

Quot vno spiritu Amice? age iam singula perpendamus. Et primo quidẽ est aliqua in historia variatio. In Archiepiscopi nomine dissentit Piccolus, licet & in historia recẽsenda nõ repugnet, cui certè repugnat & Abbas Pirrhus. Cap. igitur xx. de antiquo iure Ecclesiæ Siculæ pag. 145. sic ille. *Sed nihil æquè euicerit hoc ipsum, quod inquirimus, quã nobilis quædam* Epistola Theodosij *Monachi de Syracusarum excidio, sub ipsum rerũ gestarũ tempus ad Leonem Archidiaconũ scripta. Descripsit eam ex M. S.* Codice *Bibliothecæ insignis monasterij S. Saluatoris Messanæ, & latinitate donauit Iosaphat Basilij magni Monachus in Messanensi Academia olim græcæ linguæ professor. Sic autẽ post captæ, exciseque vrbis deplorationem narrare pergit. His auditis iratus ad carcerem nos omnes quã citius adduci iussit, & quidem ducebamur per plateã plurimis Christianorũ insequentibus, & amare flentibus, Et quidem etiã ipsi Sarraceni circũdabãt nos, & impellebant, vt viderent quisnam esset celebris Siciliæ Episcopus.*

En

En hic ex Piccolo non per inuidiā, vt ais tu, Episcopus legitur, nō Archiepiscopus. Sed cur tantū inuidię inter vos exortū sit, haud satis scio. Hoc insolens mihi inuidię rationē non dignosco. Tibi par nunquā Piccolus. Redeo nunc è diuerticulo ad historiā. Rectè profert locū Piccolus. Maior .n. habenda est fides vni dumtaxat Theodosio Epistolā scribenti, quā tibi penes te græcū M. S. Codicē legentem Archiepiscopū habenti. Nequè .n. Theodosius duplicē eiusdem exēpli exarauit Epistolam, altera, quæ in Bibliotheca S. Saluatoris Messanæ, altera vero in tua fideliter asseruetur, oblitusq; Episcopū in illa, in hac vero Archiepiscopum appellet. Theodosius ergo simul ac barbaræ crudelitatis exemplum in Tarsensem generè Nicætā in re militari apprimè eruditū, ac strenuū non sine eiulatu, ac fletu egregia Etopæia posuit ob oculos, subdit è vestigio. *Ego vero, qui iam iterū cum* EPISCOPO *in gratiam redieram; atq; in Episcopij tēplo vna cū ipso statis precibus hora sexta operā dabā, turrim a barbaris expugnatā auribus cæpi.* Post paulo. *Iam verò dum* EPISCOPVS *Angelo tutelari suā* Ecclesia *cōmendaret en adsunt extēplo hostes districtis gladijs, sanguineq; perfusis, &c.* Haud procul inde. *Is in* EPISCOPVM *intuitus ab illo quā rectè percontatus est, quisnā esset? remq; vt erat doctus, vbinam, inquit, sunt* Ecclesiæ *sacra vasa? cum autē cognouisset de loco, educit de sacro templo* EPISCOPVM *seorsim ab omni turbatione, atq; tumultu.* Post pauca. *His ita se habētibus post diē quintum ad maiorē Amyrā introducimur. Is autem ad solarium superbè in solio cōsidens valdè sibi*

Apud Pirrhū not. secund. Eccl. Syrac. pag. 148. 149.

ex tyrannica potestate placebat, & quasi mantile nobis, ipsisq; medium suspensum vtrinq; aspectibus obuersabatur. Sistunt EPISCOPVM *Ministri.* Rectè ergo promit locum Piccolus, & ab Epistolæ scriptore non distat.

At inquies: esto legatur: *celebris Siciliæ Episcopus: non vim dicti meo iudicio eneruauit. Quis .n. Siciliæ antonomasticè* Ep*iscopus, nisi qui reliquos eiusdem Prouinciæ Episcopos dignitate, atq; auctoritate præit?* Ad hanc tuæ propositionis confirmationem satis responsum supra, cum Anacleti Pont. Max. auctoritatem pro tuo instituto exposuimus, tibiquè non fauentem demonstrauimus. Nunc propositionē istam, celebris Siciliæ Episcopus, explanandam aggrediamur, quæ licet apud cordatos nullius sit ponderis, ac momenti, tamen ne te parui facere videamur, sic ad rem tuam.

Et quidē celebris, imo & celeberrimus fuit Syracusarum Antistes ex Caetano Sophronius, quē tu Theodorum opinare (nisi constet ex antiquissimis græcorum, ac Historicorum literis, atq; monumentis opinio non consistit) qui quidem cum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squallore, in sordibus, sordida quæquè rerum in os ingerendo inuicta quadam animi magnitudine hæc cruciamenta dies, noctesq; perferebat. Sic planè sibi celebris, imo & celeberrimi nomen Antistitis vel apud Sarracenos ipsos comparauit, cum isti & tormentorum magnitudine, & animi cōstantia obstupefacti inquirere non destiterint, quisnā esset celeberrimus ille, loquor cum Pirrho, Siciliē-

En hic ex Piccolo non per inuidiã, vt ais tu, Episcopus legitur, nõ Archiepiscopus. Sed cur tantũ inuidię inter vos exortũ sit, haud satis scio. Hoc insolens mihi inuidię rationẽ non dignosco. Tibi par nunquã Piccolus. Redeo nunc è diuerticulo ad historiã. Rectè profert locũ Piccolus. Maior .n. habenda est fides vni dumtaxat Theodosio Epistolã scribenti, quã tibi penes te græcũ M. S. Codicẽ legentem Archiepiscopũ habenti. Nequè .n. Theodosius duplicẽ eiusdem exẽpli exarauit Epistolam, altera, quæ in Bibliotheca S. Saluatoris Messanæ, altera vero in tua fideliter asseruetur, oblitusq; Episcopũ in illa, in hac vero Archiepiscopum appellet. Theodosius ergo simul ac barbaræ crudelitatis exemplum in Tarsensem generes Nicætã in re militari apprimè eruditũ, ac strenuũ non sine eiulatu, ac fletu egregia Etopæia posuit ob oculos, subdit è vestigio. *Ego vero, qui iam iterũ cum* EPISCOPO *in gratiam redieram; atq; in Episcopij tẽplo vna cũ ipso statis precibus hora sexta operã dabã, turrim à barbaris expugnatã auribus cæpi.* Post paulo. *Iam verò dum* EPISCOPVS *Angelo tutelari suã Ecclesia cõmendaret en adsunt extẽplo hostes districtis gladijs, sanguineq; perfusis, &c.* Haud procul inde. *Is in* EPISCOPVM *intuitus ab illo quã rectè percontatus est, quisnã esset? remq; vt erat doctus, vbinam, inquit, sunt Ecclesiæ sacra vasa? cum autẽ cognouisset de loco, educit de sacro templo* EPISCOPVM *seorsim ab omni turbatione, atq; tumultu.* Post pauca. *His ita se habẽtibus post diẽ quintum ad maiorẽ Amyrã introducimur. Is autem ad solarium superbè in solio cõsidens valdè sibi*

Apud Pirrhũ not. secund. Eccl. Syrac. pag. 148. 149.

ex tyrannica poteſtate placebat, & quaſi mantile nobis, ipſiq; medium ſuſpenſum vtrinq; aſpectibus obuerſabatur. Siſtunt EPISCOPVM *Miniſtri.* Rectè ergo promit locum Piccolus, & ab Epiſtolæ ſcriptore non diſtat.

At inquies: eſto legatur: *celebris Siciliæ Epiſcopus: non vim dicti meo iudicio eneruauit. Quis .n. Siciliæ antonomaſticè Epiſcopus, niſi qui reliquos eiuſdem Prouinciæ Epiſcopos dignitate, atq; auctoritate præit?* Ad hanc tuæ propoſitionis confirmationem ſatis reſponſum ſupra, cum Anacleti Pont. Max. auctoritatem pro tuo inſtituto expoſuimus, tibiquè non fauentem demonſtrauimus. Nunc propoſitionē iſtam, celebris Siciliæ Epiſcopus, explanandam aggrediamur, quæ licet apud cordatos nullius ſit ponderis, ac momenti, tamen ne te parui facere videamur, ſic ad rem tuam.

Et quidē celebris, imo & celeberrimus fuit Syracuſarum Antiſtes ex Caetano Sophronius, quē tu Theodorum opinare (niſi conſtet ex antiquiſſimis græcorum, ac Hiſtoricorum literis, atq; monumentis opinio non conſiſtit) qui quidem cum eſſet talis vir in carcere, in tenebris, in ſquallore, in ſordibus, ſordida quæquè rerum in os ingerendo inuicta quadam animi magnitudine hæc cruciamenta dies, noctesq; perferebat. Sic planè ſibi celebris, imo & celeberrimi nomen Antiſtitis vel apud Sarracenos ipſos comparauit, cum iſti & tormentorum magnitudine, & animi cōſtantia obſtupefacti inquirere non deſtiterint, quiſnā eſſet celeberrimus ille, loquor cum Pirrho, Siciliē-

O ſis

sis Archiepiscopus?

Te videre iam videor, hac voce *Archiepiscopi* accepta, triumphare gaudio, & exultare lætitia; cum ex mea dicendi ratione tua satis & probetur, & confirmetur opinio. Nolo te desipere præ gaudio. Atq; vt hæc tua exultans lætitia cōprimatur, plurimum tibi facessiit negotij hæc Pirrhi lectio: (cuiusnam sit versio haud satis scio) nam postquā Theodosius vltro, citroquè sermonem cum Amyra habentem narrauit Episcopum, modesteq; ac fortiter respondentem Amyræ sic concludit. *His responsis attonitus*, scilicet Amyras, *extemplo nos in carcerem retrudi iubet; ducti incedebamus media Vrbis platea in popularium conspectu, Christianorum permulti subsequebātur de nostra miseria non obscurè eiulantes. nec non contrariæ sectæ homines spectandi studio exciti nos circumstipauerant, inquirebantq; quisnam esset celeberrimus ille Siciliensis Archiepiscopus. Hæc Theodorus.*

Lege Not. secūdā Eccl. Syr. pag. 145. 146. 147. 148. 149. 150.

Estne quid hic, quod totum tuum sit Amice? Quisnam ex Sarracenorum expostulatione quid certi afferat? quis dicat Sarracenos mira quadam cupiditate succensos confluxisse ad sāctissimum Syracusanum Præsulem cōtuendum tot incommodis affectum, qui, dum Archiepiscopum appellant, in posterum totius Siciliæ dicendus sit hic, & habendus Archiepiscopus? Vnde hæc Sarracenicæ plebis auctoritas? Quis ex inconstantis vulgi, efferatæquè nationis ore quid alicuius ponderis excipiat ad suam comprobādam opinionem? *Non est consilium in vulgo*, inquit Oratorum facilè prin-

Oratio pro Planc.

princeps, *non ratio, non discrimen, non diligentia.* Adde & Tacitum sic de vulgo habentem, *Plebi non iudicium, non veritas.* O Syracusanæ Ecclesiæ luctuosum decus. o lacrimabilem fortunam. Vel ex schismaticis Imperatoribus, vel ex Sarracenorum quisquilijs tibi ex nouo scriptore adscripta dignitas, & amplitudo. Indigna dignitas: quis non videat? De hac dignitate non gloriatur vrbs Syracusæ, cum aliunde sit illi vera laus, verum decus, vera amplitudo. *Lib. 1. hist.*

At inquies: hic vulgo à veritate non abhorruit. illud obstat. Siciliensis, quasi vero eloquatur non totius Siciliæ, sed Siculus Archiepiscopus fuerit omnino Sophronius.

Sed esto vera sit & sarracenicę plebis vox, & vera itidem sit tua lectio Amice, in qua scribentis ea perlegatur oratio. *Et quidem etiam ipsi Sarraceni circumdabant nos, & impellebant, vt viderent, quisnam esset celebris Siciliæ Archiepiscopus?* Non recta consequutio, Ergo totius Siciliæ Archiepiscopus? Atquè huc redit Abbatis Pirrhi contra Bonfilium, ac Piccolum disputatio; qui ad suam illustrandam Messanensem Ecclesiam asseuerat D. Gregorium ad Messanæ Episcopum perscribentem ita inscripsisse: *Pir. in not. 11. Eccl. Mess. pag. 266. 267.*

Gregorius Felici Episcopo Siciliæ.

Et quamquam hac de re supra quid attulimus, cũ de Galatone disputatum, tamen vt hęc veritas sole clarior elucescat, pauca ex Pirrho primoribus, vt aiunt labris attingemus. *Et certè*, sic habet, *si quid eximium ex ea dicendi forma in Felice præ ceteris*

Episcopis credat Bonfilius, oportebit etiam Alexandrum illum, quem in Epigraphe Epist. 4. l. 9. Siciliæ Presbyterum appellat Gregorius, Archipresbyterum, vel Protopresbyterum (Protometropolitanum .n. in toto Siculo regno Felicem fuisse scribit Bonfilius) in tota Sicilia fateri.

Ad hæc. Secundinus, & Ioannes dicuntur a Gregorio lib. viij. Epist. Ep. 57. Ind. 3. Siciliæ Episcopi, quos tamen Metropolitanos in tota Sicilia fuisse Bonfilio pernegabit ipse Piccolus. In secunda item Nicæna Synodo Act. 3. Theodorus Catinæ Episcopus, qui vti senior inter Siculos Antistites cum eorum suffragio solus loquebatur, dicitur sanctiss. Siciliæ Episcopus, nec tamen is Antistes Metropolitanus fuit. Nec ergo Felicem Metropolitanū existimes; quamquam Siciliæ Episcopus dicatur. D. Athanasius in Epistola ad Solitarios, vt refert Michael Monachus in sanctuario Capuano fol. 382. de Capua loquens ait, quæ Metropolis est Campaniæ. In quæ verba idem Michael fol. 384. sic habet. Hoc tamen ingenuè fateor ex Epistola S. Athanasij necessario non concludi cunctas Ecclesias Campaniæ fuisse sub vna Capua constitutas; nam ille sanctus phrasi quadam sibi consueta vsurpat genitiuum pro ablatiuo loci, vt notat Baronius ann. 355. num. 21. ideo appellare Capuam Metropolim Campaniæ est, eam in Campania Metropolim appellare. Idem ergo accidere arbitror in hac appellatione, Siciliæ Episcopi. Quod ergo & Bonfilio, & Piccolo gloriosis Patriæ propugnatoribus dictum, tibi Patriæ desertori dictum velim. Si plura. Pirrhum Consule.

Insurges. Ideo celebris Siciliæ Episcopus appel-

pellatur, quia solus,& celebre sibi nomen fecit ea Sarracenica tẽpestate, qua sublatis ceteris superfuit in tota Sicilia Syracusanus Antistes. Erras,& maximè erras mi Amice. Nolo ego hoc loco longam hac de re instituere disputationem, cum certum id sit dominantibus Sarracenis rectã fuisse anno 1065. ab Nicodemo Archiepiscopo Panormitanam Ecclesiam: Roberto in. ac Rogerio Ducibus inuictissimis sarracenicum iugum anno 1071. Panormus excussit, ab ijsdemque pristino splendori Panormitanus restitutus Antistes, qui sub Alexandro II. ab anno 1061. vsquè ad 1071 sedente, Panormitanæ Ecclesiæ præfuisse reperitur. Haud alio ad id demonstrandum vtar argumento, quam vnius Calixti II. vulgato diplomate, qui an. 1112. ad Petrum Archiepiscopũ è Squillatina Ecclesia in Panormitanam translatum cũ scriberet, post pauca sic habet. *Tuis igitur, Frater in Christo Reuerendissime Petre Archiepiscope iustis petitionibus annuentes Sanctam Panormitanam* Eccle*siam, cui auctore Domino per nos institutus præsides, auctoritate sedis Apostolicæ communimus. Omnem quoquè libertatem, & omnem dignitatem, quæ a prædecessoribus nostris sanctæ memoriæ Alexandro II. Gregorio vij. & Paschali II. R.E. Pontificibus, prædecessoribus tuis Panormitanis Archiepiscopis Nicodemo, & Alcherio, & per eos Panormitanæ* Eccle*siæ concessa dignoscitur: nos quoquè auctoritate Apostolica damus tibi, & per industriam tuam* Eccle*siæ ipsi concedimus. & decreti huius pagina confirmamus, &c.* lege Gaufridũ Malaterram lib. 2. lege itidem & Pirrhum in Not. pri-

ma

ma Panor. Ecclesiæ pag. 87. & seq.

Si ergo Sarracenis barbara quadam seruitute Siciliam opprimentibus suo nō caruit Panormus Archiepiscopo, qui ex tuo, omniumq; suffragio Metropolita prædicatur Amice, non est, cur tantopere triumphes, ac gestias, ac plenis buccis celebres celebrem Syracusanum Antistitem vel fuisse totius Siciliæ Archiepiscopum, vel certè dignum hac nomenclatura, ea dumtaxat ratione censendum, quod solus in vniuersa Sicilia superfuerit.

Hæc habui æternitatem cogitando, quæ de veteri Syracusanæ vrbis primatu lacessitus exararē, ferremq; de tua Dissertatione suffragium, in quanum iure sit tibi Gregorius Asbesta Archiepiscopus, ac totius Siciliæ quondam Metropolita nuncupatus, quisq; nisi perturbato, obfirmatoq; animo iudicet, facilè poterit existimare.

F I N I S.

Bre-

Breuis Rationum Eleuchus.
Ab
Antonino de Amico
In sua Dissertatione exscriptarum.

PRima ratio Capitis primi pag. ix. quæ sic exorditur. Nemo est vel mediocriter in sacrarum historiarũ &c. exscripta est ex Pirrhi prima notitia Ecclesiæ Panormitanæ pag. 58. I.

Secunda. sed vt ab ipso Gregorio Asbesta non discedamus &c. pag. xi. ex Alberto Piccolo Parte Secunda cap. viij. De Antiquo Iure Eccl. Siculæ pag. 107. cui solerter occurrit. Ex Pirrhi notitia secunda Syrac. Ecclesiæ pag. 129. §. Ad Alterum quod de Archiepiscopi nomine. Ex eodemmet Pirrho in not. prima Eccl. Panor. pag. 97. §. Hanc eamdem consuetudinem. Huiusce rationis confirmatio: Deinde veniāt de his, qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint. Mittantur etiam de parte Ignatij Archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum pag. xviij, Ex Pirrhi not. secunda Eccles. Syracus. pag. 144. num. 49. §. Theodorus II. II. II

Tertia: Nec minus in hanc rem faciunt eiurationes in Photiũ, eiusquè sectatores &c. pag. xix. ex Prima Parte Piccoli De Antiquo Iure Eccl. Sicul. pag. 70. 71. eaquè rectissimè ab eodem & soluitur, & diluitur. III.

Prima ratio Capitis secundi, Iam vero vt Syracusanam Ecclesiam Siciliæ olim fuisse Metropolim astruamus: &c. pag. xxiij. videtur ex Anacleto Pontifice deprompta. Sed non rectè. quod apertè suo loco demõstratur. Confirmatio, pag. xxvi. ex Piccolo p. 2. De Antiquo Iure Eccl. Sic. c. ix. p. 109. vbi Littane occurrit eas Histo- I.

toricorum auctoritates afferenti.

II. *Secunda: Magnus* Imperator *Constantinus cum celebrando in causa* Caeciliani *&c. pag.xxvij.ex Piccolo Part.2.De Antiquo Iure Eccl.Sic.cap.v.tibiq; acutissimè respondet pag.*97.98. Ex *Pirrhi not.secunda* Eccl. *Syr. pag.*125.*num.*5.*Chrestum* III. *cuius &c. qui etiam diligenter occurrit,variationemq; nominis ostendit.*

III. Tertia:*sed age ad alia non minus euidentia testimonia properemus &c.pag.xxxi.ex Pirrhi not.prima panor.*Eccl.*pag.*98.*Confirmatio:*Auulsi *a Diœcesi Romana:pag.*34.Ex *Pirrhi notit.secunda* Eccl.*Syr.pag.*145. *num.* 11. *anno* 886. *circiter edita est. Ex Piccolo Pri. parte De* Antiquo Iure Eccl.Sic.*cap.xxv.pag.* 68.69.

IV. *Quarta:*Iam *vero Anno* DCCCLXXXVII.*& ante Photianas turbationes ferè nonagesimo &c.pag.xxxv. ex Piccolo p.2.De* Antiquo *Iure* Eccl.Sic.*pag.*139.*n.* 1. Stephanum Syracusanae Ecclesiae. *vterquè tibi accuratissimè respondet, Pirrhus eruditissimè.*

V. *Quinta: Sanè Gregorium ipsum* Asbestam *ante sui depositionē,& Photij schisma &c. pag.xxxix.exPirrhi notitia* 2.*Eccl.Syrac.pag.*144.*num.*49.*Theodorus II.*

VI. *Sexta: Atquè hoc ipsum postremo ex Theodosij Monachi* Epistola *&c.pag.xxxxvj.ex Piccolo cap.xx.par.* 2.*De Antiquo Iure p.*143. 144. 145.146.*ex Pirrhi not.* 2.*Eccl.Syrac.pag.* 145. *& seq.*

F I N I S.

D. O. M.

DEIPARAEQVE VIRGINI

Sint Laudes.